

AMMONII HERMEAE
EXPLANATIO
IN QVINQVE VOCES
PORPHYRII.

Ioanne Baptista Rasario Interprete.



VENETIIS

Apud Hieronymum Scotum.

1547

A M M O N I I H E R M E A E

E X P L A N A T I O

I N Q U I N Q U E P A R T I B U S

P O R T H Y L I

Joanne Baptistae Rectoris



VENERTIS

Abud Hieronymum Scorin


1247

P H I L O S O P H I A

A M M O N I V S I N P O R -

P H Y R I I I N T R O D U C T I O N E M

IOANNE BAPTISTA RASARIO INTERPRETE.



QUONIAM de Philo-
sophia disputationem in-
stituimus, necesse est ut
quid ea sit, cognoscamus.
Is enim, qui aliquid aggre-
ditur, qui d illud sit, præ-
discat oportet, quo rem
studiosius & diligentius
persequatur. Sed cum ex
definitionibus res nobis
manifestæ fiant, quoniam
pacto quippiam ex defi-
nitione percipiemus, nisi quid ea sit, prius didicerimus? Igi-
tur definitio est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid
sit, quam breuissime: & nomen ab agrorum terminis per-
translationem traxit, nam ut illi rura aliena a nostris di-
stinguunt, sic & definitiones rem assumunt, ac a cæteris om-
nibus disjungunt. Nunc igitur, quãdoquidem ita necessitas
cogit, philosophiæ definitiones exponemus, ueluti enim cū
rudimenta grammatices ordimur, grammaticen earum, re-
rum, quæ a poetis, historicisque dicuntur, scientiam esse defi-
nimus, eodemque modo cum primum ad initia oratoriæ fa-
cultatis accedimus, illam orationis ad persuadendum accō-
modatæ uim esse quandam arte coniunctam in ciuilibus
causis, cuius bene dicere sit finis, affirmamus: sic philosophiæ
definitio percipienda est, quoniam ea reliquis scientiis, & ar-
tibus definitiones tradit. Omnis igitur scientia atque ars sub-
iectum aliquod, & finem habet: subiectum illud appella-
tur, de quo agitur: finis, ad quem mentis aciem intēdimus,
& quem statuendum esse desideramus, uelut hac exempli
appositione perspicuum, ac planum fiet. medicinæ subie-
cta sunt humana corpora, quoniam in ijs uersatur: eiusdem
finis est ualitudinem recuperare, siquidem eo solum medi-
cus tendit, ligna quoque fabro lignario subijciuntur, isque illi
finis est constitutus, abacum ut efficiat, quod in causa est, ut
omnis definitio ex subiecto, aut sine, aut ab utrisque simul iun-
ctis assumatur. Ex subiecto, hoc modo, Medicina ars est,
quæ in humanis corporibus uersatur. A sine autem sic, Me-
dicina est ars ualitudinis. Ex utrisque, Medicina est, quæ in
humanis corporibus uersatur, & ualitudinis ars est. Astro-
nomia quoque cum scientia sit, cœlestia corpora habet sub-
iecta, finemque motuum ipsorum cognitionem. quid igitur
philosophiæ, subijciatur, quibus finis sit percipiamus, ut illius
definitio tradere possimus. Animaduertendum enim
est, cum, reliquæ artes scientiæque omnes in peculiaribus qui-
busdam uersentur, ut ars fabri lignorum in lignis tantum,
& astronomia in solis astris: solam philosophiam in omni-
bus, quæ sunt, uersari, finemque habere, nō ut illa efficiat om-
nia, sed ut cognoscat, multæ itaque philosophiæ definitiones
traduntur: nam multi ueterum pluribus illam modis defi-
nierunt, ac ne omnes, quas nonnulli ambitione magis, quã
rei necessitate adducti memoriæ prodiderunt, recēscamus:
quinq; uel paulo plures commemorabimus, quarum duæ
ex subiecto, duæque ex sine oriuntur. quinta propter eam,
quam ad cæteras artes habet, excellentiam apponitur. ijs p-
terea sexta, quæ ex ui nominis assumitur, accedet. Prima igi-
tur definitio hæc est, Philosophia est rerum, ut sunt, cognitio
philosopho. n. non singulos, qui inter uiuos agunt, homines
ad unum scire, sed hominis tantum naturam cognoscere p-
positum est, utpote qui rei cuiusque uim, & notionem con-

templetur. Alteram philosophiæ definitionem hanc esse uo-
luit princeps ingenij, & doctrinæ Plato, Philosophia est co-
gnitio rerum diuinarum, atque humanarum. constat tamen
inter omnes hanc nihil a prima discrepare: hoc tantum ha-
bent discriminis, ut hæc notior atque apertior præcedenti ui-
deatur, nam cum Plato res diuideret, quæ sempiternæ es-
sent, diuinas: caducas uero, & ortui interituique subiectas hu-
manas appellauit. definitiones igitur, quæ ex subiecto sumū-
tur, patefactæ iam sunt illæ quidem, sed nihil inter se disse-
runt, præter quam quod hæc notior sit, illa minus cognita.
Tertiam, quæ ex sine est, Homerus philosophorum Plato
sic literis monumentisque consignauit, Philosophia homini
cum Deo similitudo est, quãtum homo assequi potest, nam
cum duplex Dei sit actio, notionis, qua cuncta cognoscit
quod sic poetæ attestantur,

Dij omnia norunt:

& inferiorum prouidentia, qua mundum uniuersum guber-
nat, ut ijdem poetæ inquit,

Dat bona perpetuo summi regnator Olympi.

philosophus operam dat, ut deo quam simillimus euadat.
uult enim omnia speculari, quæ omnia consideret: & prouide-
re, quæ inferiora gubernet, siquidem & iudicat, & leges præ-
scribit, ita sit, ut philosophia merito sit homini cum Deo si-
militudo. Illud autem, quantum homo consequi potest, re-
ctæ ad definitionem adiungitur, quippe cum nec eadem co-
gnitio sit, nec prouidentia.

- Neque enim simile est genus unquam

Immortale Deum, atque hominum terra egressorum.

quorum enim cunq; uis, atque natura diuersa est, eorundem
quoque perfectiones diuersæ sunt, quod in cæteris etiam ani-
mantibus, homine uidelicet, atque equo clarum est, & per-
spicuum: quorum quia differt natura, dissimiles esse perfe-
ctiones comperiuntur: quippe cum hominis perfectio sit,
honeste, idest cum uirtute uiuere: equi uero, acrem ue-
locemque, & bello idoneum esse. Quineriam in brutis, que
sunt rationis expertia, nunquam finem, & perfectiones di-
uersas, nisi naturas quoque diuersas uideremus, nam aliud ca-
ni est natura, aliud boui, aliud homini, quod si in ijs, quanto
magis in homine, ac Deo: ex quo fit, ut cum non parum dis-
similes habeant naturas, dissimiles iidem perfectiones ha-
bere cogatur. iustis igitur de causis, quantum homo assequi
potest, definitioni adiectum est, philosophia itaque est, quan-
tum homo assequi potest, Dei similitudo. quid uero, ut sic
definiatur fuerit in causa, dicendum est nobis, quoniam, ut
diximus, duplex est Dei uis, cognitionis, & actionis: ita in
animis nostris contemplatio, & actio sunt, quæ efficiunt, ut
cum philosophus utranque animi partem ornare cupiat, uel
dum rerum omnium naturam, quomodo se habeat, per-
scrutatur, tum etiam cum patibiles uires animi cum diuina-
rum rerum contemplatione coniungit, supra hominem ex-
tollatur. idque in causa fuit, ut Plato philosophiam, quan-
tum homo assequi potest, Dei similitudinem esse definiue-
rit. Sequitur altera ex sine definitio. Philosophia commenta-
tio mortis est, at quoniam hæc definitio, Philosophiam mor-
tis esse commentationem declarat, quomodo ea intelligen-
da sit, reserabimus. Cleombrotus quidam, cum eum diui-
ni Platonis librum, qui est de animo indiligenter euolue-
ret, philosophumque mortem meditari debere uideret, igna-
rus quid sibi uellet mortis illa commentatio, murum ascen-
dit, sed inde abiecit, id quod poetæ cuiusdam epigramma

Ammonia Porphy.

A ij

te nobis est notum, atq; testatum;

- Phœbe uale, dixit, deq; arce Cleombrotus alta
 Se dedit in Stygios Ambraciota lacus,
 Non scelerum ad mortem furijs compulsus, at unum
 Incautus de animo legerat ille librum.
- huius igitur horribilis casus in causa fuit ignorantia. nam quomodo mortis meditatio intelligenda esset, considerare debuerat: præsertim cum sibi manus inferre, nemini licere ijs uerbis moneat ille longe omnium, quicunq; fuerunt, grauitate dicendi princeps Plato, Etenim, inquit, sermo ille, qui de ijs arcanis habetur, hominem ueluti in quadam esse custodia, ut ex illa seipsum soluere, aut aufugere non deceat, magnus mihi quidem, & ualde abstrusus uidetur, atq; hæc quidem ille, nefas igitur est, quemquam sibi ipsi mortem consciscere, nam quemadmodum leges uentant, eum, qui uinctus in custodijs habetur, ulla carceris uincula rumpe: ita etiam dominans ille in nobis Deus, qui corporis nostri uinculum diuina prouidentia sua coniunxit, uetat iniussu hinc nos suo demigrare, quod si ita se res habet, quonam modo philosophiam mortis commentationem dicemus? mentes uestras adhibete, & hunc uobis ex animo scrupulum euellam. nam cum homo constet ex anima, & corpore, ut ex duobus componitur, ita & animæ discessus a corpore duplex erit. est enim quoddam naturale uinculum, cuius beneficio corpus animæ alligatur, uitalēq; ab ipsa spiritum trahit: quoddam uero uoluntarium, quo corpori coniungitur eidem seruiens, & subiecta, duplex igitur erit solutio, una, per quam corpus ab anima: altera, per quam anima soluetur a corpore, mors quoq; duplex erit, altera naturalis, cui omnes obnoxij sumus, quam obimus, cum corpus ab anima separatur: & altera uoluntaria, cum scilicet philosophi contemplationibus animum a corpore distungunt. philosophi igitur mortem meditari, id est, animum a rebus corporeis seuocare dicuntur. hoc præterea non est ignorandum, cum corpus ab anima secernitur, animam omnino a corpore non se regari, tantopere enim animæ corpora diligunt, ut etiam post mortem in amore perseverent: quo circa nonnulli umbrosas prope tumulos apparitiones ob eam causam uideri existimant, sed neque cum anima a corpore, corpus ab anima penitus seiungitur, philosophi enim, qui adhuc uita fruuntur, & philosophiæ parent, seipso a corporibus abducunt. philosophia igitur est mortis, hoc est animæ secretionis a corpore, meditatio. Restat, ut quæramus, si philosophia finem habet eorum, quæ sunt, cognitionem, quo iure primam definitionem, quæ ait philosophiam esse, rerum, prout sunt, cognitionem & eam, qua philosophiam rerum diuinarum, & humanarum cognitionem esse affirmamus, ex subiecto, & non ex fine assumi dictum sit. nam uelut medicinæ scientiam, quatenus in humanis corporibus uersatur, ex subiecto, & dum efficit ualitudinem, ex fine, ad quem intendit, definiiri afferuimus: ita quoq; de philosophia dicendum fuerat, quæ si finem habet rerum cognitionem, superiores definitiones ex fine, deriuari necesse est dicamus. primum illud uos scire uolo, cum duo philosophiæ sint genera, primum, quo contemplamur, alterum, quod est in actione, duos item fines sortitam esse. quando enim philosophiam mortis meditationem dicimus esse illam ex fine, qui in actione est, definimus: at cum rerum, ut sunt, cognitionem, ex eo fine explicamus, qui cognitione comprehenditur: cum uero Dei similitudinem, quantum assequi mortalitas potest, definiiri ex utrisq; sit. Medicina, quæ mista est, quando ex contemplatione tantummodo definitur, scientia dicitur, quæ in corporibus humanis uersatur, quam sane definitionem ex subiecto non iniuria sumi dicemus: quando autem ex eo, cuius gratia sit contemplatio, ualitudinem efficiens dicitur, ex fine definitur. at philosophia cum simplicem formam contemplantem habeat, (nam id solum in causa est, ut rerum cognitio habeatur) aliam ex subiecto, aliam ex fine definitionem suscipere nequaquam potest. nam cognitio aliquorum cognitio est, at quoniam cognitio

nis, & aliquorum cognitionis eadem comprehensio est, atque intellectio, siue ex subiecto quispiam dixerit definitionem, siue ex fine, non errabit: erit tamen potius ex utrisque, sed nos fortassis ad aliarum definitionum distinctionem, eius uidelicet, quæ dicebat, similitudinem Dei, quoad eius ab homine fieri posset, quæ in quibus similitudo esset, non determinabat: & illius, quæ mortis meditationem aiebat, has definitiones sumi ex subiecto confessi sumus. Quinta definitio ea est, quam Aristoteles longe omnibus præstans & ingenio, & diligentia, propter philosophiæ ad reliquas tum artes, tum scientias excellentiam, sic tradidit: Philosophia artium ars est, scientiarumq; scientia. quodam enim modo ad hanc omnia referri posse intelligebat. Cognitiones tum artibus, tum scientijs conueniunt. artes uero ipsæ, scientiæque nihil inter se rationibus differunt, cuiusq; enim artis rationes per se ipsas non uariantur. at materig ratione distinguuntur: quippe cum scientia, ut astronomia, geometria, & arithmetice in ijs existant, quæ semper eadem sunt, artes uero in ijs, quæ plerunq; immutantur, quibus quidem sit rebus, ut geometricæ rationes mutari non queant, ut ex hoc planum, atque apertum est. in omni circulo a medio ad circuitum omnia interualla æqualiter distat. hoc enim semper eodem se habet modo. medicinæ uero rationes mutantur, ut cum dicimus, Contraria sunt contrarijs medicamina, id quod sit, quoniam medicina nō semper in eodem existit, ac primum propterea quod omnibus morbis remedium non inuenitur. quid si quispiam mortifero morbo urgetur: præterea morbi non semper contrarijs, sed plerunq; similibus curantur: ut in ijs, quæ accidit, usu uenit. nam sæpe homines ægri morbo graui cum æstu, febrigue iactantur, si aquam gelidam biberint, prius releuari uidentur: deinde multo grauius, uehementiusque afficiuntur. philosophia igitur omnibus, & artibus, & scientijs principia dedit, ut geometriæ uniuersas rationes: inuestigare enim uniuersa, philosophorum est. geometres etiam punctum indiuiduum sumit, & magnitudinis sectionem infinitam facit: atq; ijs principijs utitur absq; demonstratione. sed hæc philosophus sic probat: Omne terminans terminato una dimensione minus est, corpus tribus præditum dimensionibus latitudine, longitudine, & altitudine, a superficie circumscribitur, quæ duabus dimensionibus longitudine, & latitudine constat: non enim habet altitudinem, qua minor corpore existit. extremitas item, cui duo interualla sunt, longitudo scilicet, & latitudo, a linea finitur: quæ in solam longitudinem extenditur, quæ itidem a puncto terminatur. at punctum cum indiuiduum sit, nulla alia terminatione concludetur: omne igitur terminans terminato una dimensione minus est, omnem deinde magnitudinem infinitam diuisionem admittere, sic philosophus demonstrabit. Sectio omnis sit per puncta, ex quorum concursu nullum corpus compactū, & coagmentatum inuenimus: corpus igitur per puncta distinctum tribus dimensionibus constabit, id quod euenit, quoniam a diuisione nihil quicquam a corpore, præter quanti magnitudinem auferri uidetur, adeo ut tres illæ dimensiones remaneant, corporis igitur ratio sectionem interminatam suscipit, quod si minus fieri posse propter ingenitam nobis imbecillitatem uidebitur, id tamen ob eam causam non erit sublatum. Philosophia medicinæ quoque quatuor elementa impertitur. cum enim philosophi quatuor elementa demonstrarent esse, idque medici comprobarent, tot etiam ad ortum corporum, & uulgatis illis quidem, sed non pluribus, aut paucioribus opus esse falsi sunt: ex quibus in quatuor elementis quatuor humores oriri aiunt, quos ab illis elementis remotis cognatione quadam deriuari affirmant. Rhetorices quoque principia a philosophia ducuntur: quandoquidem orator accipit exemplum, & enthymema, quæ inductioni, ratiocinationique comparantur. ut enim ratiocinatio uera est, cum habet necessitatem in sese, ita quoque enthymema uerū erit, quod una propositione a ratiocinatione superatur: quamobrem ratiocinationis etiam imperfectæ non

men sortitur. Ratiocinatio inquam oratio est, in qua positis quibusdā aliud quiddam, quæ posita sunt, ex ijs ipsis que posita sint, necessario efficitur. pari et ratione exemplū inductioni respondebit. enimvero ut inductio quandam probationis rationem decentem illam quidem, sed non semper ueram, habet, ita & exemplum habeat oportet. hæc sane differunt inter se, quoniam inductio oratio est, in qua ex singulis uniuersa probantur, ut rhetorica ars, iuris que ciuili scientia ac cæteræ artes utiles uitæ sunt: medicina igitur, quia ars est, uitæ utilitatem affert, at exemplum est quod ex singulis singula confirmat, & ab illis sumit argumenta. nam est is locus de argumentis inueniendis ab Aristotele in differendi facultate tractatus uberrime. nihilque omnino est omissum, quod pertineret ad omnem rationem dicendi. perspicuum igitur est, rhetoricen a philosophia principia sumpsisse. Orator præterea iusto, honesto, & utili utitur, etsi quomodo & quando iustum spectandum sit, & num idem cum utili existat, ignorat: sunt enim qui iustum ubique ab utili non discrepare existiment, sunt etiam, qui ea disjungant, & contraria faciant. id quod perspicuum quidem esset, si ex illorum numero essent, quæ uicissim retro commeant, at ipsa quoque grammaticæ ad philosophiam refertur: nam in sonis, temporibusque uersatur, ex quo efficitur, ut sub musica, quæ philosophiæ pars est, constituta sit. sed nec solum artes, quæ in ratione uersantur, atque scientias: uerum etiam sordidas philosophia indigere compertum est. nam ædificator perpendiculo utitur, ut an rectus sit paries, discernat. sed quid perpendiculum sit, nescit. at philosophus hanc huiusce rei rationem reddet, omnia grauiua suapte natura ad imum tendunt, grauiua ad pares angulos deorsum feruntur, recti anguli nunquam aliquo declinant. faber item tignarius, ut ligna recta efficiat, rubrica utitur, sed quæ rectæ lineæ natura sit ignorat: geometra uero cuius partes a philosophia sunt ductæ, rectam esse lineam in quiet, quæ æqualiter inter sua puncta constituitur. Ad summam omnes artes, quæ habent initium, id a philosophia nactæ sunt. est igitur philosophia artium ars, & scientiarum scientia. Pythagoras ea porro definitione philosophiam explicauit, ut esse illam sapientiæ studium asseruauerit. hic primus cum ueterum erroribus obuiam iniret, & ab illis eum, qui cuiusquæ artis particeps esset, sapientem nominari audiret, inter quos numerari Archilochus potest, cum dicat:

Rectum tridentem naua sapiens collocat.

& Poeta: nam ita ipse quoque scriptum reliquit,

Postquam sapiens faber ordine fecit.

deæ sapiētissimæ exhortationem probe cognoscens hoc deo cognomen attribuit, quem solum sapientem appellari deceat, utpote qui sapientiam habeat, & rerum cognitionem sempiternam. Cum præterea nonnulli de grammatica, deque rhetorica, nonnulli etiam de naturalibus rebus quæ re re quippiam cepissent, alij uero contra, ad alia se contulissent: eos, qui naturalem contemplationem exercerent, philosophos uocari uoluit, quasi amatores sapientis, quem Deum duntaxat appellari censuit: eorum uero cognitionem uno, & eodem nomine philosophiam uocauit. hæc Pythagoras. multæ præterea sunt philosophiæ definitiones, sed his contenti sumus. At quoniam res omnis, uel diuiditur, uel diuidi non potest, utrum philosophia diuidatur nec ne, necessario dicendum uidetur. sed antequam hanc disquisitionem aggrediamur, diuisionis, condiiuisionis, & subdiuisionis uim, & naturam considerabimus: is enim qui satis commode uelit de diuisione differere, quid earum unaquæque sit, diligenter exponat oportet. Diuisio igitur est sectio rei ex prima notione. Condiiuisio ex secunda notione rei partitio est, ut cum animal ex prima notione in rationis particeps, & expers diducimus, appellatur diuisio. cum uero ex secunda, in supracælestem, & terrenum, mortaleue, aut immortale distribuitur, condiiuisio sit. sed hæc inter se ordine solum differunt. Subdiuisio est, partis illius rei, quæ iam diuisa est, speciei uidelicet sectio. (speciem nunc intellectam uo-

lo, quæ & genus & species esse potest, si ad aliud, & aliud comparatur) ut supracælestis aliud fixum est, errans aliud. nam supracælestis animalis species est, quod in fixum uagumque subdiuisimus ita, ut fixi, & uagi genus existat. Ac de ijs quidem satis in præsentia dictum uidetur. nunc deinceps de philosophiæ diuisione differemus. Philosophia, ut paulo altius ordiar, a nonnullis in duas, a plerisque in partes tres est distributa. ex ijs, qui eam tripartitam esse dicunt, unam in cōtemplatione, alteram in actione, tertiam in ratione uersari dixerunt. quod utrum bene habeat, non incommodum uidetur exponere. ac primum sciendum illud est, pro diuisionis ueritate diuina principem locum obtinere, nam

Cunctarum diuina exordia rerum.

id quod in causa fuit, ut ueteres eam diuinarum rerum rationem apposuerint. at naturale, quantum ad nos attinet, primum est, quoniam quæ intelligentia solum pollent, a nobis percipi non queunt prius, quam cognita habeamus ea, quæ cerni, tangiue possunt. sed re uera extremum, atque ultimum est: extrema enim substantia materiata est, iccirco extremum locum est sortita. Mathematicum, quod nonnulli preposuerunt ei, quod in ratione uersatur, eam ob rem medium sibi uendicauit, quod ab ipsa natura in medio sit ordine constitutum, uel quemadmodum uoluerunt ij, qui Platonis sectam sunt secuti, ut formas, quæ insitæ, & iam in animis nostris consignatæ sunt, agnosceremus, & innatas nobis singularum rerum, quas contemplati sumus, notiones mathematicis demonstrationibus tanquam uia quadam, & scalis utentes, recordaremur. qui autem ab Aristotele profecti sunt, ea de causa mathematico medium locum attribuere, ut cōsuetudine oculorum assuesceret animus ab ea substantia, quæ materiam haberet, illam cognoscere, quæ intelligentia tantum, & ratione cōprehenditur, quæ non esse aspectabilis illa quidem, sed maiori, & uehementiori essentia atque ui prædita est, quam si oculis cerneretur. ex hoc euenit, ut lineam, quam in materia discimus, nunquam æque, ac ipsam materiam, aut ceram, aut æs cognoscamus, nisi eam a materia seuocantes atque in mentem adducentes uehementiorem ipsius uim & naturam consideremus. omnem uero figuram ueluti lineam, & triangulum nihil cū cera cōmune habere, propterea quod in ea inhæreat, per se clarum est, atque apertum. nam si a trianguli figura latus admiratur, mutabitur, cera tamen mutationis immunis remanebit: utraq; sane mutarentur, si natura esset utrisque communis. philosophia igitur, ut dictum iam est nobis, cum in eam diuiditur, quæ in actione uersatur, tum in eam, quæ in contemplatione consistit. Existit autem hoc loco quædam quæstio, ut scilicet quæramus quid causæ sit, cur in hæc, & cur bifariam philosophia distribuatur. Diuisio pauciores in partes fieri non potuit, cum unum in unum non secetur: sed quare in plures partita non sit, duas rationes afferemus. Cum philosophiam homini cum Deo similitudinem, quantum eius rei capax homo sit, definierimus, duplicesque Dei actiones existant, una cognitionis, qua cuncta cognoscit, altera prouidentia, qua inferiora gubernat omnia: philosophia iure in contemplationem, & actionem est distributa. nam contemplationis auxilio ea, quæ sunt, cognoscimus: actionis uero, inferiora disponimus, atque eo pacto nos Deo similes præstamus. altera ratio affertur hoc modo. Animæ nostræ duæ sunt actiones, altera uim habet cognoscendi, ut mens, ratio, sensus, opinio, & cogitatio: altera uitalis est ac libidinum æstu fluctuans, quæ est in uoluntate, electione, ira, & desiderio constituta. cum igitur philosophus omnes animi partes, nosque perfectos esse uelit, cunque ex contemplatione cognitionis uirtus, ex actione uitalis perficiatur, non ab re philosophiam in contemplationem, & actionem didicit. præterea contemplatricis philosophiæ triplex est ratio, una de diuinis, altera de mathematicis, tertia de naturalibus. neque id immerito, quandoquidem omnia spectare philosophus cupit. sed eorum quæ sunt, triplex ordo est. ex rebus aliæ omnino materia carent, & se pulcherrime sustentant, per-

seque intelliguntur, eiusmodi sunt diuinæ: aliæ nunquam separari a materia, nec per se constare, intelligiue possunt, ut naturales, ac species, quæ materiam adiunctam habeant, cuiusmodi sunt lignum, os, caro, & simplicia corpora, quæ etiam naturalia dicuntur, propterea quod a natura proxime producuntur. Mathematica uero, quæ & separabilia et non separabilia sunt, intermedia uocantur, circulus, n. triangulæ, & reliqua generis eiusdem per se sine materia coherere non possunt: quod in causa est, ut a materia non secludantur. ueruntamen postquam ligneum, æneumue, aut lapideum circulum, atque triangulum inspexerimus, eorum formam a materia semotam animo comprehendimus non secus, ac cera facit, quæ non materiam, sed formam trahit, cum a sigillo imprimatur. dicentur ergo a materia segregari, cum per se non consistant, seiungi uero, cum eam nos de illis opinionem conceperimus. Igitur cum ex his, quæ sunt, alia omnino separentur, alia penitus non seiungantur, alia tum seiungantur, tum a materia nihil semoueantur, merito contemplatricem philosophiam in diuinam, naturalem, & mathematicam philosophi disperserunt. a materia enim secreta, diuinis: quæ in materia innixa sunt, naturalibus: his intermedia, mathematicis tribuuntur. Quibus materia est adiuncta ab eadem non separari definitio nobis declarat. at mathematica seiunguntur, ut ex illorum definitione perspicimus, nam in circuli definitione, quæ nobis posita sit huiusmodi, Circulus plana figura est, quæ ab una linea efficitur, cuius omnis extremitas paribus a medio lineis rectis attingitur, nulla materia sumitur. at si domum definire uouerimus, eam a materia secludere nihil est, cur putem posse. dicemus enim ad hunc modum, Domus integumentum est ex lapidibus, cæmento, lignisque constructum, quo ab æstu, & imbribus defenditur, nam si materiam non adhibuerimus, nec scenam, nec integumentum aliquod effectum intelligemus. Mathematicum iure in medio collocatur, quoniam a naturalibus ad diuina nullo medio interiecto nequimus descendere. atque etiam propterea quod ab his, quæ nullo modo a materia seiungi possunt, ad ea, quæ prorsus seiuncta sunt, mathematicorum ope, quæ tum secreta sunt, tum non sunt, proficiscimur. Ex eo enim mathematica dicuntur, ut cum ea didicerimus, beneficio illius partis, quæ ex ipsis corpore uacat, nos diuinis affuefaciamus. Plorinum quoque diuinum hominem in dicendo constat mathematicas disciplinas adolescentibus tradendas esse censuisse, ut seipos naturæ, quæ corporis expers est, assuetos reddant. quoniam si eos statim a naturalibus ad diuina traducere uouerimus, cæcos faciemus. quemadmodum autem si quis ex domo maxime tenebricosa in splendidissimam exire uoluerit, in ea prius morari debet, in qua mediocre lumen sit, in lucidissimam postea deuenire: ita etiam iuuenes, antequam a naturalibus ad diuina ducantur, in mathematicis, quæ ad illa tanquam gradus, & scalæ sunt, ut quatenus a materia non separentur, naturalibus: qua uero semouentur, diuinis coniungantur, necesse est exerceri. Naturalium præterea, diuinarumque rerum cognitio nonnullas suscipit diuisiones, quas quoniam ad huius libri institutum nihil pertinent, silentio soluemus. Mathematicæ uero disciplinæ quatuor sunt partes, geometria, astronomia, musice, atque arithmetice. Arithmetice numerum considerat. diuinæ quippe sunt arithmetice contemplationes: non tamen illum numerum, quo idiotæ dinumerant, ac computant, sed ipsam numerorum speciem diuinam appello: ut cum inquirimus, quamnam habeat rationem senarius ad ternarium, aut nonarius ad senarium, nonne ille duplam, hic sesquialteram? ortum in super numerorum, paris uidelicet, imparisque, ac pariter paris, & huiusmodi contemplatur. Geometria magnitudines, ac figuras considerat. Musice profecto nihil præter chordarum concentum speculatur. quosdam enim instituit cantus, qui affectiones animi leniant, ipsumque ad uirtutem dirigant. quod quidem ita esse musices interualla iam cadentia nobis declarant, cum tubam audimus, animo statim ue-

hementius concitatur, reddimurque audaciores, id quod etiam in causa est, ut ea utantur milites, cum prælium ineunt, at si illum dulcem sonum, qui in theatro interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rara portione distinctis impulsu, & motu chordarum efficitur, qui acuta cum grauibus temperans æquabiliter concentus efficit, audiuerimus, ita complebit aures nostras, ut quasi soluto animo deficiamus. Pythagoram, cum adolescentulum quendam tibiarum fiduculis numerose sonantibus omnino captum animaduertisset, tibicini, sonum ut mutaret, iussisse, sicque iuuenis libidinem cohibuisse, literis monumentisque proditum est. ex quibus rebus efficitur, ut his, quæ de musices diuinitate sunt nobis dicta, adhiberi fides possit. Quapropter ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauissimus auctor, & magister Plato iuuenes ad musicen, exercitacionemque hortabatur, ut animum musica, corpus exercitacione ornarent. Astronomia in motibus, & conuenienti, constantique conuersione stellarum uersatur. nunc quam ob causam mathematicæ scientiæ non plus, nec minus, quam in quatuor partes possint distribui, dicendum est. Mathematicum in quanto uersari nemini dubium sit, quanti altera pars coniuncta est, deiuncta altera. harum utraque dupliciter diuiditur: coniuncta in eam, quæ mobilis, & eam, quæ immobilis est. mobilis etiam uel semper, uel ad quoddam tempus mouetur. Deiuncta distinguitur in eam, quæ est per se, & in eam, quæ ex his est, quæ sub eandem rationem cadunt. Coniunctum quantum, quod non mouetur est terra, in qua geometria uersatur. erit igitur geometria quanti coniuncti immobilis in collocaione cognitio. illud uero, quod semper mouetur, cœlum est, in quo astronomia consistit: astronomia igitur cognitio est quanti coniuncti, quod semper mouetur. itaque astronomia, & geometria in coniuncto quanto uersantur. Coniunctum id est, cuius partes ad certum communem terminum omnes pertinent. Ex partibus quanti disiuncti aliam per se, aliam ex his esse diximus, quæ cum aliquo conferuntur. Quantum per se deiunctum numerus est, quando ipsum per se par ne ex paribus, an par ex imparibus sit, & non fortuito ad alterius comparationem, ut in musica sit, consideramus. numerus igitur quatenus per se consideratur, in hoc quanto disiuncto uersatur. ergo arithmetice quanti per se deiuncti cognitio est. Quantum deiunctum, quod cum aliquo comparatur, est mutua relatio sonorum, in quibus efficitur harmonia, quæ per numerum discernitur, & in qua musice existit: musice igitur cognitio est quanti per se disiuncti, quod cum alio relationem habeat, perspicuum igitur est, musicen, arithmeticeque in quanto se parato uersari. Deiunctum est, cuius partes consideratæ per sese conuenire simul non possunt. Quot igitur, quibusue modis contemplatricis philosophigenus consideretur, quemque finem spectet, ex his, quæ diximus, ita constat, ut nemo esse debeat, quem ignorare posse putem. Reliquum est, ut de ea, quæ in rerum actione cernitur, uerba faciamus, quæ sane prius distinguenda est. Hæc igitur philosophia est omnis diuisa in partes tres. quarum una moralis est, alia in rei familiaris ratione, tertia in reipublicæ bene gerendæ prudentia continetur. quicumque igitur in seipsum recte quid fecerit, suosque mores ornauerit, moralis dicitur. at qui domesticos instruxerit, rei familiaris peritus uocari poterit, qui uero ciuitatem uniuersam singularibus suis studijs ornauerit, ciuile appellabitur. quidam tamen moralem, & familiarium rerum peritum ad ciuilem reducunt hac opinione adducti. aiunt enim, si quis ciuitatem præceptis, institutisque bonis imbuerit, posse facilius sese, domumque suam bonis moribus informare: huicque philosophiæ parti, cuius omne opus est in faciendo, atque agendo, ciuilem tantum subiiciunt. quibus sic esse responsum uolo. plerique enim, qui inanem aucupantur rumorem, umbrasque falsæ gloriæ consecantur, ciuitatem instituant, ac ciuilem mores confirmant illi quidem, sed se, suosque familiares despiciatui ducunt, ac floccifaciunt. ita sit, ut hæc philosophiæ

Iosophia pars in tres seiunctas partes, quarum unaquæque in iudicandi, legumque ferendarum rationem distinguitur, sit distributa. Ciuilis enim philosophus & leges fert, quibus ciues instituti recte uiuant, & iudicat ita, ut supplicio improbos afficiat, & defendat, ac tueatur bonos. Illud tamen scire oportet, idem inueniri in eo, qui rei familiaris peritus sit, quod in ciuili dicebamus existere: nam is quoque suis leges facit, & seruos, filiosque contumaces iudicat, deq; eis pœnas sumit, hæc non modo in ijs duobus, sed etiam in tertio, quem moralem nominari diximus, conspiciuntur. nam is itidem sibi constituit leges, cum ait.

Assuece his addere frena,

In primis uentri, dein somno, mox ueneriq;

Præterea magnus, & nobilis rhetor Isocrates, cum monet, ut Deum timeamus, ac pie, sancteque colamus, parentes honore prosequamur, & amicos diligamus, morales leges describit. Sed moralis his uerbis sese diiudicat, atque examinat diligenter:

Ne teneris patere ante oculis obrepere somnum,

Singula quam repetas operis ter gesta diurni:

Quo ueni, quid uero egi, aut quod deceat, quid omisi.

Sic a principio percurras omnia, quæque

Comperies prae acta, dole, læteris honestis.

De rei familiaris perito, ciuiliq; dicemus, si nobis datus erit locus, ubi opportune de eis loqui possimus, nunc pauca erunt de ea philosophiæ parte, qua mores conformari putantur, nobis dicenda, ac primū quid mos ipse sit, aperiemus. Mos est hominis ornamentum. ornamentum est inuisiuiusque perfectio, quæ studio fugiendi eius, quod supersit, quodque desit, acquiritur: si quippiam uero ab sit, aut redundarit, uitium est. uerum si quis eum turpem esse dixerit, qui membris aliquibus, utpote manibus, aut pedibus careat: illum eodem modo turpem dicet, qui pluribus, quam opus sit, abundarit, ut legere est apud Apollonium de gigantibus, quos poeta ille sex digitos, & quinque manus habere fingit. turpitudine igitur est, uel cum quid redundat, uel deest: perfectio itaque est recusatio superuacanei, ac diminuti, quæ imperfectiones sunt, perfectio imperfectioni contraria est. contraria ex contrariorum obseruatione corriguntur. quid igitur philosophia sit, queque illius partes sint, palam fecimus. tota enim philosophia frugifera, & fructuosa est, quippe que uitæ dux, uirtutis indagatrix, expultrixque uitiorum, inuentrix legum, & magistra morum, & disciplinæ sit, ad quam confugiamus, cuius est magna laus Platonis memoria, & literis consecrata. Hoc, inquit, bono nullum oprabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu, atq; munere, neque dabitur. Hæc itaq; summam de philosophia dicta sint. deinceps quæ ad librum hunc pertinent, dicemus. Nam philosophiam rerum omnium, ut sunt, cognitionem esse diximus. itaque philosophi operam dederunt, ut exploratum haberent, quo nam pacto cognoscerent omnia, cumq; singulas res oriri, interireq; uiderent, & ob eam causam incognitas esse, atque infinitas, & scientiam esse sempiternorum, finitorumque cognitionem, idque quod esset discendum, a cognitione comprehendere, & infinitum incomprehensum: se ad uniuersas, quæ & perpetuæ, & definitæ sunt, transtulerunt. Scientiam sic dictam Plato affirmat, quod ad quandam nos rerum statum, ac metam perducatur. ergo cur a singulis ad uniuersa se receperint, quærendum uidetur. A singulis enim hominibus ad uniuersalem hominem confugerunt, quoniam philosophis non singulos homines numero percurrere, sed hominis tantum naturam, hominem uidelicet animal esse mortale, rationis particeps, inuestigare propositum est. id qui nouerit, omnes homines, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, cognosceret. sic igitur a singulis hominibus ad quandam hominis communitatem se eduxerunt. A singulis item equis, ad quandam equi communionem indicantes equum animal esse quadrupes aptum ad hinnitum, sese conuerterunt. non enim omnes singillatim equos, flauus ne hic sit, macu-

losus ille, sed equum uniuersæ cõtemplari philosophus uult, uniuersa semper eodem modo, nec nunc aliter, paulopost uarie, prout singularia, se habent. alia enim maculosi equi, alia flauis natura est, quemadmodum etiam Platonis, & Alcibiadis, uniuersalis equus, & uniuersalis homo simili semper modo sunt. omnis enim equus est animal quadrupes hinniens: omnis etiam homo animal est rationis compos, mortale. idem de cane, & alia quauis animalis specie dicendum est. cum igitur has formas, & quæ ijs conclusa sunt, humana consideratione nec percipi, nec circumscribi posse animaduertent, (nihil sane mirum uideri debet, si multa animalia scientiam fugiant nostram) ad quandam animalis cõmunitatem reliqua omnia singulatim continentem deueniunt. Atqui homo, equus, canis, & reliqua generis eiusdem, quatenus animalia sunt, nihil differunt: eo quod omnia hæc naturam animatam, sensuque particeps habeant: qui igitur, quid animal sit, perspectum habuerit, omnia animalia cognosceret. A sicu pariter, plarano, atque uite sese ad uniuersalem ficum, platanum, ui temq; contraxerunt. de reliquis plantis eodem modo. hæc rursus, aliq; sub plantam commune genus adduxerunt. quæ singulas plantas contineret. duas igitur communitates animalis, & plantæ habent. animal præterea, plantamque sub animato constituerunt. planta quidem anima prædita est, quoniam augetur, atque nutritur, ac similem generat sui. sed quoniam inanimatum animato aduersatur, inanimatum est, quod anima caret, ut lapis, lignum, ijsque similia, infinita enim singularia sunt: a singulis lapidibus, & a singulis lignis ad uniuersum lapidem, & lignum transtulerunt, & ab uniuerso ligno, ac lapide ad commune genus inanimatum, quod hæc utraque complecteretur, contraxerunt. duas igitur cõmunitates animatum, & inanimatum habebant. hæc rursus ad corpus cõmune genus, quod tribus præditum dimensionibus est, referuntur. nam lapis, ligna, homo tres dimensiones habent, item angelos, animalque, & ijs similia sub cõmunitatem quandam eius, quod caret corpore, quod corporea contrarium est redegerunt. hoc enim tres dimensiones undique pares habet, at hoc & mensura, & partibus omnino uacat. quærentes itaque quod esset genus utrisque commune, substantiam esse inuenerunt. nam & corpus, & non corpus, ut anima, angelus, Deus substantia est. hæc igitur substantia communi generi subiecere, præsertim cum substantia rem significet, que se sustentet. hæc tamen ex contrarijs cognita nobis sunt. nonnullæ quidem res sunt, quæ per se constare nequaquam possunt. sed id sibi est natura comparat, ut in alijs sint, ueluti candor, dulcedo, nigror, & huiusmodi, quæ aduentitia uocantur. hæc enim per se se constare non queunt. uerum candor aut in fuco, aut lacte est, quæ corpora sunt. quæcunq; igitur suis ipsorum uiribus constiterint, neque alterius cuiusquam indigeant, ut homines, animæ, lapides, substantiæ dicentur, eaque omnia, ut dictum nobis est, ad substantiam referuntur, num igitur omnia, quæ sunt, a sola substantia continentur? eamque potissimum ob causam omnium cognitionem philosophus habere poterit: non sane uerum restabant duo, decem, atque uiginti, quæ sub numerum commune genus adduxerunt. magnum item aliquod, & paruum inuenere, quæ cohærentia nominarunt. & quoniam numerum, & cohærentem illam, & continuatam naturam in eo, quod Quanta sunt, inter se communicari uiderunt (utrunque enim quantum est) sub uniuersali quanto constituerunt. duas igitur communitates Substantiam, & Quantum habebant, quæ multas res complecterentur. Erat insuper id, quod candidum est, & multi singillatim candores, nam candor in fuco est, niueq; & olore. hæc igitur omnia albo absolute subiecerunt. Simili quoq; modo nigrum, & fuluum colori subiecta esse uoluerunt. Erant præterea dulcitus, amaritudo, itemque calor, & frigus, quæ sub Quale, quod omnibus commune genus est, posuerunt. Quale est, ex quo ea, in quibus inest, qualia nominantur, ut candidum corpus, quod candore præstet,

Dextrum præterea, sinistrumque, duplum, & dimidium supererant, quæ sub commune genus eorum constituerunt, quorum uis omnis, & natura alterius esse dicitur, uel quæ quoquo modo ad alterum referuntur. Item in Lyceo esse, in foroque, atque ijs consimilia uidebant, quæ sub ipsorum commune genus Vbi, quod locum significat, cõtraxerunt. erant etiam heri, hodie, cras, quæ sub Q uando tempus significans retulere, supererant iacere, stare, sedere, quæ sub situm, qui corporis statum significat, collocarunt. uestitum esse, atque armatum esse, & annulum gestare conspiciebant, quæ sub habitum posuerunt, quod est substantiæ ad substantiam adiunctio. Reliqua adhuc erant uerberare, calefacere, & frigidum reddere, quæ sunt sub Actionem relata. postremo uidebant superesse uerberari, uexari, quæ sub affectionem, quæ immutationem significat, collocarunt. Agere enim in aliquid agere est. hæc igitur decem genera Substantiam, Quantum, Quale, Quæ cum aliquo comparantur, Vbi, Q uando, Situm, Habitum, Actionem, atq; Affectum habebant, sub quibus omnia, quæcunq; essent, continebantur. Decem itaque genera categoriæ dicta sunt, quod de ijs, quæ sub se essent, dicantur. Aristoteles ergo de decem ijs generibus scripserat, et harum quinque uocum Generis, Speciei, Differentiæ, Proprii, & Accidentis meminerat, eaq; nobis, quoniam in consuetudinem non uenerant, incognitæ erant. Philosophus Porphyrius boni uiri munere functus hunc libellum composuit, in quo nos docet, quid que illarum significet, ut cum hæc didicerimus, commodius quæ ab Arist. de summis decem generibus tradita sunt, percipiamus, hoc igitur est, quod Porphyrio propositum erat. Librum introductionem inscripsit, quoniam est uia ad omnem philosophiam, nam decem suprema genera, ante quæ huiusmodi institutio etiam collocanda est, omnes libros, qui de philosophia compositi sunt, præcedunt. nam ut philosophi omnia, quæ sunt, sub decem communitatibus constituerunt, & nihil penitus existit, quod sub has adductum non sit, ita quoque grammatici de quinque uocibus fecerunt. Cum enim uocum infinitionem consequi non possent, nonnullas uoces ad quadam nominis communitatem, & alias ad uerbi, retulerunt. & sic octo orationis partes sibi compararunt. eundem secutus ordinem Porphyrius, omnem uocem, quæ significaret, præter indiuidua, quæ ipsa quoque significant, ad quinque uoces reduxit, sub quas omnes, quæ significant, reducuntur. In quot igitur, quæque parteis unaquæque philosophiæ pars diuidatur, & quem finem habeat, demonstratum est. nunc ea, quæ cum omnium philosophorum libros incipimus, prædicenda sunt, operæ precium est præfari, ea hæc sunt, quid libro propositum sit, quam utilitatem afferat, si ne legitimus, ordo, inscriptionis causa, capitum diuisio, docendi genus, & quam ad partem philosophiæ referatur. Hæc ita prædici solent, non ut aliud quicquam additum sit, ut solitum etiam in alijs artibus est, sed ut promptiores lectores reddantur. Nam libri argumentum ignoratum in causa est, ut lector remoretur, & in medio delistat, & æque patiat ac illi, qui, quo uadant, nesciunt, id quod in causa est, ut argumentum exponatur, at si quis tantummodo argumentum cognouerit, nihil est, cur promptius ipsum opus aggrediatur, si non didicerit, quid utilitatis inde percepturus sit: ea re fit, ut iure declaratur utilitas, uerum cum hæc duo nobis comperta fuerint, nihil utile fore credemus, nisi prius habeamus exploratum librum a quodam ex ueteribus scriptum fuisse, quem probatum esse sciamus, quales Plato, & Aristoteles extitere, a quibus nihil, nisi fructu refertum dictum est. ita fit, ut nunc liber legitimus sit aperiendus. Ex horum cognitione oritur de ordine dubitatio, priori ne in loco, an posteriori collocandus sit, quibus quidem sit rebus, ut de ordine differatur. Indicamus præterea inscriptionem, quoniam breui quodam modo libri argumentum continere uidetur. Denique declaramus ad quam philosophiæ partem nos ducat, ut ubi conferat, constet inter omnes. cum itaq; explanauerimus, qua

ratione moti philosophi hæc præsentur, occasio nobis suadet, ut ea quoque nunc referamus. Porphyrio itaque propositum est, de quibusdam quinque uocibus differere, sub quibus omnia quæ sunt, continentur. sunt enim hæc, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Hic liber ad philosophiam uniuersam utilis est, cum nos doceat, quæ per se formis adueniant, quæ causæ sunt, ut formæ consistent. nã propterea quod causæ, consistent demonstrationes accipere solemus, demonstrationem igitur docet, cuius ope totius philosophiæ finem cognoscimus. Legitimum esse Porphyrii librum clarum est tum ex ipsa elocutione, tum quia sæpissime abbi de ijs, quæ in hoc libro præcepta tradidit, mentionem fecit. Chrysaorium affatur, in cuius nomine multæ etiam libri præter hunc apparuerunt: hocque huiusce rei in causa est. Porphyrius Chrysaorium docebat, cunq; ei mathematica declararet, rogauit is Porphyrium, ut de ætheo igne componeret historiam: tum Porphyrius pfectus est. Forte inciderunt in Chrysaorii manus summa decem genera ab Aristotele conscripta, quæ cum legens non intelligeret, ea de re Porphyrium absentem statim certiore fecit, rogauitq; ut si ignis historiã perfecisset, ad se reueneret: sin minus aliquid rescriberet, cuius ope librum Aristotelis intelligeret, gesit igitur ei morem Porphyrius, & hunc libellum ei rescripsit. A Platone enim hæc ferme omnia excerptis, eademq; pene uerba usurpauit, ex quo planum est, ueteris auctoris esse proprium. In ordine principem obtinet locum, quippe qui nos ad decem Aristotelis genera introducit, in quibus de simplicibus uocibus agitur, quæ sunt logicæ facultatis initia, ordinis igitur ratione primus liber logicus est, hæcque de ordine sufficient. Introductio inscribitur, qua in re nonnulli quærun, cur infinite sit inscriptus inductio, ambigitur enim grammatices ne sit, an rhetorices, quibus responsum uolumus, solere nos res excellentiores infinite significare, ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos sum. quid igitur obstat, quo minus liceat ei, qui philosophiam significare uult, non definite dicere: præterea introductio uel artis, uel scientiæ dubio procul introductio est: quo nam igitur pacto satis conuenienter poterat is, qui nos in illam introducturus erat, quæ nobis ad cæteras omnes artes adiutum parefacit, si uera eius definitio est, unius tantum artis introductionem librum inscripsisse: quare de hoc satis. Hic liber est totus diuisus in partes tres, in una, de ipsis quinque uocibus agit: In alia eandem dupliciter comparat, & quid illis commune sit, quidque proprium, declarat. quid uidelicet Generi, quid Speciei, quidq; Proprio, nec non Differentiæ, & Accidenti commune sit. In tertia quid commune habeant inter se. Sed antequam philosophus ad hæc aggredia- tur, in proœmio libri totius argumentum exponit, utilitatemque, & docendi formam, qua utitur, declarat. loquitur enim tam clare, & perspicue, ut introductionis modum non excedat. Sub logicen, quæ philosophiæ instrumentum appellatur, hic liber reducitur, docet enim quid ad demonstrationem efficiendæ principium conferat, quæ quidem genere ratiocinatio est, quæ species est compositæ orationis, quæ item genere oratio est. Postremo ad decem genera Aristotelis perducit, quæ ad logicam tractationem spectant. Logice non est philosophiæ pars illa quidem, sed instrumentum, ut rationibus firmabo & docebo, cum reliqua, ut institui, deinceps perfequar.



VM sit necessarium Chrysaorii et ad decem summa genera percipienda, de quibus Arist. scripsit generis, differentie, speciei, proprii, atq; accidentis cognitionem habere: hæcque contemplatio ad definiendum, et ad ea omnia, quæ de diuisione, ac demonstratione

monstratione præcepta sunt utilitatem afferat, institui tibi ea breuiter, & enucleate declarare, quæ maiores nostri literis, monumentisq; consignarunt. qua in re quæstiones obscuriores silentio inuoluam, & eas, quæ faciliores sunt, mediocri coniectura informare conabor. ac ne uager latius, de generibus, et formis cõstent ne ipsa per se, an in solis animis sint: deinde si per se cohæreant, corpora ne, an expertia corporis existant: atque num auulsa sint ab ijs, quæ sensibus percipiuntur, an in ijs ipsis insideant: & omnia, quæcunque ad huiusmodi disceptationum genus pertinere uidentur, dicere præmittam, cum hoc magnū opus, & arduum sit, & magnæ, arduæq; cogitationis indigeat. at quomodo de illis, atque ijs, quæ commemorauimus, ueteres, ac præsertim Peripatetici probabiliter differuerint, tibi exponam.

Quæcunque sunt, suapte natura bonum expetunt, siquidem origo rerum omnium bonum est, omnia igitur ad bonum tanquam proprium bonum referuntur, a quo unaqueque res, cum eius plus, minusue pro suæ capacitatis mensura particeps sit, perficitur. malum igitur expetit nemo: uerum qui malum sibi asciscunt, id ipsum tanquam bonum appetere uidentur. Siquis igitur quempiam ad aliquid hortari uoluerit, bonum illi ostendit inde prouenturum, ut ea de causa illum in suam sententiam trahat. Porphyrius itaque, cum uellet iuuenes ad librum legendum excitare, & inflammare, initio bonum ex eo profecturum indicauit. uerum quoniam bonum duplex est, alterum ut finis, prout ualitudinem bonam dicimus: alterum ut ad finem, uelut uenam alicui incidere, non causa sui, sed ualitudinis boni esse affirmamus. hoc loco, necessarium, non ut proprie bonum, sed ut ad maius bonum referatur. nam ut dicimus, si ualitudini restitui uis, uenam tibi incidi necessarium est, sic hic necessarium philosophus dixit. quippe cum hic liber ad decem genera, tanquam ad finem referatur. neque tamen bonum est, ut finis, sed ut ad aliud collatum, & ut uno uerbo complectar, necessarium hunc librum dixit esse, uelut qui ad maius quoddam bonum nos perducatur, & ita utilem esse, uel absolute per se necessarium, cum fieri non possit, ut si hunc cognitum non habuerimus, philosophorum libros percipiamus. Necessarium dupliciter a philosophis accipitur, uel tanquam utile, uel ut fortuito contrarium. utile illud appellant, quod alterius gratia sumitur, ut uestiri, exui, hæc enim eo sumuntur, ut corpora minus detrimenti patiantur, & ob eam causam longiorem uitam degant: Necessarium quod fortuito aduersatur, est, sine quo subiecta res constare non potest, ut animalia, quæ pulmonem habent, continuo respirare, ut uiuant, necesse est. respiratio igitur necessaria est, siquidem animalia pulmonem habentia sine respiratione uiuere non queunt. hic igitur liber uel priori significatione, uel posteriori necessarius dicitur: uerum secunda fieri non potest, quoniam illi, qui Porphyrium præcessere, philosophorum scripta non ignorarunt. constat enim inter omnes librum hunc, tanquam utilem, dictum esse necessarium, utpote qui philosophiæ præcepta nobis reddat clariora, ac dilucidiora. nunquam tamen necessarius ex significatione posteriori dicitur, propterea quod philosophicas res absque huiusmodi libello percipi non posse sequeretur. Necessarium hoc loco non ex libro, sed quinque dictarum uocum cognitione accipiendum est, quæ quidem nisi sciuntur, reliqua nunquam accurate intelligentur: quocirca Porphy-

rius non librum, sed quinque uocum cognitionem esse dixit necessariam, atqui antequam hunc librum Porphyrius scripsisset, harum quinque uocum cognitio necessaria erat ad philosophorum contemplationes, quæ si huiusmodi quinque res incognitæ essent, intelligi non possent. hic igitur liber hanc nobis utilitatem affert, ut quæ disperse, & diffuse ab antiquioribus dicta sunt, unum in locum conducantur, ac colligantur, & breuior, ac facilior nobis illorum fiat cognitio. quare Porphyrius hanc inuentionem non sibi ascribit, sed quæ maiores nostri literarum monumentis prodiderunt, in medium proferre studet. Porphyrius tribus de rebus in proœmio differit. primū enim dicit, quid sibi in hoc libro propositum sit, cum de illis quinque uocibus se dicturum pollicetur. deinde quid afferat utilitatis, cum nō solum ad illa decem genera rerum, quorum Aristoteles auctor est, sed, ut paucis agam, ad omnes inuestigandæ philosophiæ uias magnum afferre aiat adiumentum. Tum illo se docendi genere usurum promittit, quod facile sit, conueniatque ijs, qui ingrediuntur ad studium. nihil enim addit, quod eorum intelligentiam superare uideatur, qui primum instituantur. quippe qui neq; longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione uerborum utatur: quibus omnibus deterreri adolescentes, & a legēdis libris auerti solent. Porro coniunctio illa, & nobis indicat hunc librum non modo ad decem summorum generum Aristoteleorum perceptionem, sed etiam ad philosophiam uniuersam conferre. præterea inquit, decem summa genera, ut innueret non solum utilem hunc librum ad Aristotelica decem genera, uerum ad alia etiam, quorum alij auctores extitissent. Pleriq; enim Aristotelis commilitones præceptorem imitati de primis generibus, de interpretatione, ac resolutione & iudicio conscripserunt. Sunt igitur hæc uoces nobis adiumento non solum ad decem illa genera, quæ Aristoteles literis consignauit, sed etiam ad ea, quæ Architas Tarentinus, & alij, qui philosophiam diligenter tractarunt, memoriæ prodiderunt. Ambigunt nonnulli in ipso initio, cum Porphyrius dicat, Cum sit necessarium, & ea quidem dubitatio præter rationem est, atque infirma, uerum propter confutationem, a qua dilucida fit, relatu digna, & ualde utilis. aiunt enim, eius, quod est, aliud necessarium est, aliud contingens, aliud instans. necessarium est, quod semper eodem modo se habet, ut cum sol terras larga luce complet, dies est. quod uero contingit, esse potest, & non esse, ut legere, & nō legere. nam ubi unum ponetur, esse alterum non poterit, nisi sit potestate consideratum. instans illud est, quod tum re ipsa est, & quod præsens sit. illud itaque, quod est, ijs omnibus non est æquale. non enim reciprocantur ita, ut cum alterum sit, alterum uicissim inferat, ueluti proprium, definitio, quæ mutuo utrique termini esse possunt, & is uide licet, qui subijcitur, & is, qui de subiecto dicitur. nam hæc duo, proprium inquam, & definitio uicissim retro conueniant, alterum quidem ipsorum subiectus terminus est, alterum uero, is qui de subiecto enunciat. sed quis nam subiectus terminus, aut is qui in subiecto dicitur, est? subiectus apud philosophos apposito articulo dignoscitur: ei uero, qui de subiecta re effertur, uerbum est, uel actione, uel potestate coniungitur. omnes enim termini, qui enunciantur, aut nomina sunt, aut uerba. nominibus quidem uox re ipsa, uerbis autem facultate connectitur, uerbi causa, si dixerō, homo, subiectam uocem dixerō, si animal est, addiderō, eam dictionem addiderō, quæ de uoce subiecta dicitur. illud igitur, quod est, omnibus æqualiter non inest. nec terminus qui dicitur, quique subijcitur, necessario, & ei, quod inest, quodque coniungit, æqualis est, sed erit plus aliquanto, quam illa omnia. non enim consequentia quadam sese uicissim inferunt, quoniam quicquid necessarium est, uel contingens, uel instans, id ipsum, quod est, dicitur. at contra, siquid est, non semper, uel necessarium est, uel contingens, uel instans, uerum siquid illorum fuerit, nullum ceterum.

rorum esse poterit, quippe cum id, quod contingere potest, neque necessarium, neque instans sit. quid igitur causæ fuit, cur Porphyrius, qui uult omnes terminos, qui dicuntur, uel maiores esse subiectis, uel æquales, nunquam tamen minores, necessarium quod minus censetur eo, quod est, utpote cum id, quod est, latius pateat, fecerit enunciari sic enim dicit, Cum sit necessarium, nos igitur, uerissimum esse minus de maiori dici non debere respondemus, sed negamus id, quod est latius, quam necessarium serpere, ac manare. illa nomina proprie latius manare dicuntur, quæ de multis enunciantur, & in multis sita sunt. quædam enim res est, quæ per se considerata proprie constat, ut animal, quod de cane, equo, & homine dicitur, siquidem in ijs consistit, & propriam habet naturam consideratum per sese. Si igitur quid animal sit, definitione explicauerimus, substantiam animatam sensus participem esse dicemus: nam omnia quæcunque proprie per se non constant, (ambiguæ enim uoces sunt canis, Ajax, & id generis permulta, quæ non constant propria eorum ui, ac natura) communiora nomina dici non debent, sed uoces tenues, quippe quæ res non sint. quod enim latius patet, quam aliud quicquam, ipsum prius per se sit oportet, & eo pacto erit altero communius, at illud, quod est, cum per se non existat, sitque cum necessario, contingenti, & instanti nominis solum communitate conueniens, nullo illorum amplius erit, uox enim tenuis est, Præterea si communius esse uelint, tanquam genus dicent, sed genus eodem tempore diuisum in se formas continet, quas eque coherere facit, neque permittit unam esse priorem altera, uel posteriorem; uno igitur, eodemque tempore necessarium esse contingens, & instans confiteri cogentur, quo nihil falsius, nam necessarium semper est, contingens, & instans, quandoque id itaque, quod est, eorum genus non erit, neque necessario latius patebit. id namque, quod est, ambigua est uox, & non genus, adde non esse naturam quandam definitam, ac distinctam, quæ in unoquoque singillatim insit, ut in generibus uidetur. Si item res omnes uel finitæ sunt, uel infinitæ (nam signa, quibus res definiuntur, quatuor sunt, omnis, aliquis, non omnis, nullus, quæ sane notæ determinationes a philosophis appellantur nullam aliã ob causam, nisi quod ex ijs determinatur siquid de aliquibus uniuersis, aut singulis definitur, ac pronuntiat, si quis Omne dixerit, uniuersum, Si Al quis, partem significabit, ab omnibus penè philosophis singulas res non definitas pares esse determinatis demonstratum est ita, ut si dicatur, homo uenit, idem sit, atque aliquis homo uenit) Porphyrius cum absque determinatione diceret, Cum sit necessarium, neque Omne apponeret, illud, sit, pro parte accepit perinde, ac si dixisset, Cum aliquid sit necessarium, nam id, quod est, in parte sumptum, idem, quod necessarium ualet, quemadmodum ipsi quoque fatentur. quare si id, quod est, non tenuis uox, sed res fuisset, quæ proprie constaret, uelut animal, non pessime de eo necessarium sine ulla determinatione dici poterat. Ad hæc, quando res significare uolumus, id per rectum casum hoc modo, homo, bos, equus, facere solemus, at quando rei partem, uel quod ex re est, in secundo casu, ut si dixerem Socratis, aliquam ipsius partem, uelut manum, uel caput, uel aliquid, quod prope eum sit, ut domum, et librum significabo. Si igitur Porphyrius rectum casum dixisset, rem plane ipsam significasset, sique æqualiter partem de uniuerso dici uideretur: sed quoniam obliquum dixit, uel partem rei, uel quippiam ex re significauit, necessarium enim æquale est parti eorum quæ sunt illius, quod est, ut homo equalis est alicui animali, & manus parti alicuius hominis par est. proinde si quispiam uelit id, quod est, ob hanc rationem proprie constare, non tamen est Porphyrio uitio uertendum, quod necessarium de eo, quod est, tanquam de æquali male dici fecerit. Porro id, quod est, genus non esse necessarium, fortuiti, & instantis, neque insuper substantiæ, accidentisque, & reliquorum generum summorum, rationibus affirmabo. In quibus aliquid prius est, & posterius, quod de ijs communiter dicitur, genus non

est. genus enim formarum est genus, formæ in eodem tempore per se coherent, & una earum quæque habet, ut seipsa, & non in alijs existat: accidens si substantia posterius erit, & ab illa habebit, ut sit, & insit, erit contingenti posterius, in illo enim habet, ut sit. id igitur, quod est, de ijs, non ut res cognomines faciunt, sed ambigue dicitur: cum præsertim genus non sit, cum in ijs prius, & posterius esse uideatur, ex quo perspicuum est, accidens in substantia, & instans in contingenti non tamen in eisdem, situm esse, propterea quod sequatur, ut sit substantia, & contingens tolleretur, accidens, & instans simul auferrentur si uero eæ species, substantia inquam, & contingens, in quibus id, quod est, non consistit, amoueantur, quod reliquum est, non erit amotum. quam enim species canis intereat, hominis tamen, bouis, equi, & aliorum non corrumpentur, ijs igitur rationibus aliorum dubitationem per absurdam, nostramque dissolutionem utilem, claram, perspicuam, & cõcinnam esse demonstrauimus. Quentiam nonnulli principium damnant, atque inquit, Id, quod est, ambiguum est, ambiguum infinitum est, illud igitur, quod est, infinitum existit. at initium ab infinito sumere non decet: quibus id, quod est, non ambiguum esse, sed ab uno aliquo, respondemus, prout a medicina & librum, & instrumentum medicinale appellamus. nam medicina instrumentum, & medicinalis potio ad unam ualitudinem referuntur. quid autem sit ab uno esse, in decem summis generibus percipiemus. Existit etiam hoc loco quædam quæstio quid scilicet causæ fuerit, cur id, quod est, necessario preposuerit, id quod nos tribus esse factum causis ostendemus, prima, ut id, quod latius patet, principem locum obtineret, secunda, ut elegantior esset, nam si dixisset *ἀναγκαῖον ὄντως*, nõ adeo uocalis ob hiatum fuisset locutio, tertia, ut a generalissimis (ut aiunt) initium sumeret. ita sit, ut cum Porphyrius uellet a generalissimis doctrinã exordiri, id quod est, antulerit necessarium, quærent demum, cur non, equum est, aut bonum, aut utile, sed necessarium dixerit, cui sane quæstioni duplici diuisione occurrendum est. Scire oportet bonum, & utile sibi ipsis esse substrata, ac uicissim coherentia. utile in duo distribuitur, in utile, quod genere ambiguum est, et in necessarium, bonum est, quod causa sui expetitur, ut beatitudo, pietas, utile est, quod a necessario distinguitur, quod & in esse, & nõ in esse potest sine interitu rei, cui inhaeret, ut hoc indumentum. Necessarium insuper duplex est, uel quod per se appetendum est, nihilque a bono differt, ut beatitas, sanitas: uel quod alterius causa optabile est, prout ueng incisio, potioque medicina: in prima significatione quinq; uocum cognitio necessaria est, ut pote quæ nos ad decem summa genera, atque uniuersam differendi uiam ac rationem ducat, quod sane necessarium sex modis dici constat, quippe cum & materia, & ratio, quæ in homine inest, necessaria dicatur. deinde necessarium appellatur, quod per se fugiendum, atque alterius gratia sit desiderandum, dicitur tum necessarium, quod per se optandum sit necessarium, sed propter aliud quicquam suscipiendum sit, ueluti sunt rium sitem dicitur, nec per se expetendum, nec fugiendum, quædam medicinae potiones. postremo illud necessarium est, quod & sui, & alterius gratia amplexandum sit, qua significatione liber hic & sui, & alterius causa necessarius esse dicitur. { Cum sit necessarium Chrysaori & ad decem summa genera percipienda, de quibus Aristoteles scripsit, generis, differentia, speciei, proprii, atque accidentis cognitionem habere } Quoniam Aristoteles in decem generibus pertractandis de generalissimis decem uocibus differit, quas differentijs, & proprijs separat, ac distinguit, generumque, & priorum, ac differentiarum illic mentionem facit: generis, & differentia necnon proprii, & speciei cognitio illarum uocum comprehensionem nobis faciliorem reddet. Porphyrius coniunctione Et, usus est, ut non modo ad Aristotelica summa genera, sed ad ea etiam, quæ deinceps subiungit, utilem hunc librum ostenderet. Nonnullorum opinio fert, Porphyrium, Et, apposuisse, ut etiam ad ea genera, quæ Archytas scripta reliquit, harum quinq; uo-

cum cognitionem utilem esse declararet. quod quam alienum a ratione sit, ex hoc intelligi potest. nam ipsemet philosophus statim explanat reliqua, ad quæ afferat adiumentum. præposuit uero differentiam speciei, quoniam ordine doctrinæ prior est. sed quid causæ fuerit, cur genus in uocum enumeratione prius constituerit, suo loco dicemus: in præsentia de quibus nam acturus sit Porphyrius, exponamus. Sunt itaque Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens, quæ declaranda sunt. ac si uouerimus cognoscere, cur hæc uoces hunc ordinem sortitæ sint, (non enim putare debemus id temere factum esse) erit de hac re paulo altius ordinandum. Vniuersa quædam, & singula in rebus esse sciendum est. sed quoniam singulas res interitui obnoxias esse oportebat, prouida solerisque mater rerum omnium Natura quiddam, quod latius pateret, atque omnia complecteretur, eorumque formas conferuaret, excogitauit, idque, cum esset uacans nomine, genus, aut speciem ueteres appellarunt. atque ut hoc perspiciatur, & ordinis causa nobis explorata sit, singula tanquam in exemplo quodam proponemus. Socratem igitur, & Platonem, & ceteros sigillatim, stauum quoque, & maculosum hunc equum, & illum, singula, & indiuidua philosophi uocauerunt: illa uero quæ singulas res continent, uelut uniuersus homo, qui singulos in se homines comprehendit, species coniunctim appellauerunt. quæ uero ipsas species complecteretur, ut animal, sub quo homo, & equus constituuntur, genera dicta sunt. his interiecta intermedia differentia est. Differentia enim est, quemadmodum etiam Porphyrius post nobis explicabit, quo quicque distinguitur. & hæc potissimum de causa differentia in rebus apparet: sed quantum ad genus spectat, nullam esse differentiam perspicuum est. neque enim in animali quod genus est, homo, & bos differunt, quod & nos, & boues sumus animantes, sed rationis particeps cum accessit, nos ab illis separauit. atque ita differentia effecta est, qua homo a boue, & cæteris bestijs rationis expertibus differat. rationis particeps dicitur id, quod mente ducitur, & ratione, ut homo, & angelus. rationis expertis est, quod præter rationem, atque iudicium uiuit, uelut sunt equus, bos, & reliqua generis eiusdem. ita fit, ut differentia minus, quam genus, & magis, quam species pateat. id quod exemplorum appositione perspectum, ac clarum fiet. rationis particeps, & mortale minus patet, quam animal, siquidem ea ab animali continentur, rationis particeps, quæ differentia est, cum angelum, & hominem comprehendat, latius quam homo, quæ species est, serpit, ac manat. Præterea differentia magis angusta est, quam genus, quatenus sub genus cadit: at latior specie est, quoniam rationis compos, & expertis habet in se, sub quæ omnia animalia simul cadunt, species uero unum tantum, uelut hominem, equum, & aliud quicquam comprehendit. Proprium est, quod in sola, totaque specie inest, ut in homine natum esse ad risum, in eo enim solo, toto, & semper intelligitur. Accidens est, quod abesse potest sine eius rei, in quo situm est, interitu, ut candor, nigror, accubatio, inclinatio, sessio. Ex his igitur quædam rerum naturam perficiunt, quædam extrinsecus adueniunt. genus, species, & media inter hæc differentia, rei naturam absoluunt, quoniam ex ui, & natura dicuntur existere, animal enim unumquodque perficiunt, atque unaquæque res horum trium particeps est. ut manifesto apparet in Socrate. nam quatenus animal est, genus habet, qua rationis compos, & mortalis, differentiam, quia homo, speciem. simili quoque modo in Platone, atque Alcibiade. reliqua duo proprium, & accidens nihil quicquam rei naturæ conferre, sed aduentitia esse dicuntur, propterea quod rationi notionis eius rei, quæ subiicitur, nulli usui sunt: ex quibus proprium illis, quæ rei naturam constituunt, coniunctius est, quam accidens, ex eo quod proprium semper alicui inest, accidens tum inest, tum abest. huiusmodi separari posse dicuntur, quoniam si ea secreta esse cogitauerimus, nihil hominis naturam imminuent, id si ita esset, nigror non esse homines dicendum esset, quod absurdum ui-

detur, atque si ridendi habilitatem amitteremus, nihilo tamen fecius homines essemus, cum omnes hominis actiones exercere possemus. Iis in hunc modum constitutis quoniam modo progressus sit Porphyrius, animaduertite. Ea, quæ rei naturam perficiunt, præposuit: secundo loco quæ nihil auxiliij præstant, collocauit. ex his præterea, quæ naturam absolutam reddunt, genus, ut pote quod magis pateat, primum obtinuit locum: differentiam deinde tanquam minus angustam, quam genus sit: postea speciem ueluti minus patentem differentia constituit. Illorum, quæ nihil quicquam afferunt rei naturæ, proprium, quod ad rei naturam propius accedit, accidenti præpositum est: accidens extremum locum habuit, tanquam nihil ei sit cum prædictis commune. & uti ipsum solum sine interitu eius rei, in qua inhæret, adsit, atque absit. Est autem hoc loco non immerito quarrendum, quoniam modo accidens sit generi, & speciei contrarium, siquidem in genera, & species distribuitur. aliud nos esse dicimus, si unumquodque quatenus habet, ut sit, consideremus, & aliud, cum ad aliud referatur. cum enim quid quippiam per se sit, spectamus, hoc Substantiam, illud Quantum, hoc Quale esse affirmamus. cum uero ad summa genera, quæ post substantiam sunt, respicimus, ea quia non constant per se, sed ad substantiam annuntur, substantiæ accidere dicimus. In unoquoque item ex decem generibus cum illud, quod magis uniuersale est, & quod magis singulis rebus conuenit, & illud, quo ea, quæ singulis rebus accommodantur, a magis uniuersalibus diuiduntur, prospiciamus, horum unum genus, alterum differentiam, alterum speciem appellabimus, ita ut idem aliter consideratum, genus, specieiue, aut differentia dici possit. Iis enim differentiæ, quæ in summis generibus insunt, cognoscuntur. potest item & substantia esse, & aduentitium. hæcque contemplatio ad definiendum, & ad ea omnia, quæ de diuisione, ac demonstratione præcepta sunt, utilitatem afferat. } Hoc primum in loco Aristotelis, & Platonis artem differendi diuersam esse sciendum est. Aristoteles quinque modis, ut uidere est in Topicis, opiniones affectatur. ac Platonis dialectica in quatuor tantum uersatur, diuisione, definitione, demonstratione, ac resolutione. hic igitur liber & ad definiendum, & ad ea omnia, quæ de diuisione, & demonstratione præcipiuntur, affert adiumentum. ita fit, ut ad Platonis differendi artem utilis existat. ac si ita se res habet, ad uniuersam philosophiam magno nobis erit adiumento. Philosophia quadripartita est, prima pars in diuisione, altera in definitione, tertia in demonstratione, quarta in resolutione uersatur. huius igitur loci sensum haud secus intelligendum censo, ac si Porphyrius dixisset, hunc libellum non modo ad philosophorum libros percipiendos, sed etiam si nullorum scripta extarent, posse uiam rerum omnium inueniendarum studiosis suppeditare. sed de singulis est ordine differendum. Diuisionis igitur interest propositum genus in proprias differentias diuidere, hæcque distinguendi est ratio. Animal in id, quod ratione utitur, & quod rationis expertis est, diducitur, uerum non sic, animal aliud est homo, equus aliud, & aliud hoc quippiam. nam illos qui res distribuunt hoc modo, coquis male frustra secantibus, & oblonga membratim non distinguentibus, id est imperitis, rudibusque hominibus, ac physice rationis ignaris similes esse, Plato in philosophia iudicio doctissimorum hominum facile princeps opinatur, id quod scriptum reliquit. Proprium definitiue est, unicuique rei propriam definitionem dare. principem diuisionem ars definitiua consequitur, quoniam definitio diuisione utitur, cum ex generibus, & differentiis, quæ rei naturam absoluunt, ac complent, elicitur. is igitur, qui definit, ex diuiso genere assumet, quæ ad definitionem faciunt, uelut si ex hac animati diuisione in animal, & plantam, & animalis in ratione utens, & rationis expertis, mortale, & immortale excipere hominem uoueritis, qui definit, ratione utens, & mortale animal excipiat. Demonstratiue proprium est, ex propria natura

res demonstrare, non quomodo oratores solent, apud quos cum rei dubiæ fidem faciunt, auctoritas ualet plurimum; sed quemadmodum Plato præstanti uir ingenio, qui cū animam nullo mortis fato perimi uellet demonstrare, id ex natura propria animæ atque ui confirmauit. Anima, inquit, a se mouetur, quod a se mouetur, semper mouetur, quod semper mouetur, immortale est, anima igitur immortalis est. ita fit, ut qui demonstrare uoluerit, hunc morem teneat necesse sit. etenim demonstrationes ueræ ex definitionibus fiunt, definitiones rei uim, & naturam patefaciunt. Constat enim demonstrationes ex rerum summi ui, atque natura, non autem assumi foris, præsertim cum exteriora non necessario rem ipsam consequantur. Tertium igitur locū sortita est demonstratio, quoniam ipsa definitione, definitio diuisione uitur. Munus resolutionis est, composita in simplicia, ex quorum compositione sunt facta, dissoluere, ut grammatici quoque facere solent, qui orationem in nomen, & uerbum, hæc in syllabas, has in elementa diducunt. at philosophi naturæ interpretes, ac uirtutis magistri de rebus agunt, quippe qui hominem in caput, manus, & pedes, hæc in ossa, carnem, & neruos, eadem in quatuor elementa, ea demum in materiam, & formam dispersiunt. resolutione in ratiocinationibus utimur, cum eas in propositiones, & propositiones in terminos diducimus, id quod Aristoteles in ijs libris docet, quos de hac arte conscripsit. prima igitur omnium est diuidendi ratio, altera definiendi, tertia demonstrandi, quarta denique resoluendi. ac trium duntaxat mentio facta est, quoniam hic liber est ad illas maxime utilis. de generibus enim, & differentijs uerba facit, ac docet. Etenim qui diuisionis scientiam caller, genus in species per differentias proprias recte distinguet. atq; is, qui definit, ex genere, & differentia definitionem sumet. Demonstrationes definitionibus constant, & definitiones ex generibus, & differentijs, ut dictum iam est. Id ipsum alia quoque ratione potest probari. Illæ tres inter se colligatæ admodum sunt, ut definitio diuisione, & demonstratio utrisque utatur. nam qui demonstrat, rerum definitionem assumit, ut rei naturam comprehendat. item definitio diuisione uitur, at resolutio neutra illarum uitur, quoniam diuisioni contraria est. quoniam diuisionis unum accipiens in plura distribuit, resolutio uero usque eo procedit, dum in unum desinat. nam si hominem accipiat, & in partes dissoluat, partes illas in humores, hos in elementa, hæc denique in materiam, & formam partietur. elementa enim ex materia & forma sunt conflata. Alio præter ea modo sic. Qui diuidit, a simplicibus ad composita progreditur: qui resoluit, a compositis ad simplicia regreditur. & ei, qui definit, aduersatur is, qui resoluit, quoniam alter rei naturam coniungit, alter dispergit. Id alia quoque ratione firmabitur. Si resolutio diuisioni aduersa est, cum definitio sine diuisione fieri non queat, definitio itidem aduersam esse perspicuum est. ita fit, ut demonstrationi quoque contraria sit futura: etenim si demonstratio definitione, & diuisione uitur, & his duabus aduersa resolutio est, demonstrationi nimirum erit aduersa. Sed in ijs enumerandis quid causa fuit, cur definitionis prius, quam diuisionis, quæ prior est, mentionem fecerit? quoniã inquam, uidebat huic libro propositum esse, ut illarum uocum definitiones traderentur. Compositio a dissolutione differt, quantum tamen ad subiectam rem spectat, nihil interest. nam uelut inter ascendentes, & descendentes, ita inter compositionem, & resolutionem discrimen uersatur, idque tantummodo relatione quadam, quando autem a superioribus, primisque principijs ad inferiora & ultima descendimus, compositio fit: cum ab ultimis ad prima conscendimus, resolutio. & quoniam compositio, cum id coagmentauerit, quod statuerat, finem construendi faciet: ita quoque resolutio efficiet, cum id, quod propositum erat, dissoluerit. nam qui resoluit, quippiam compositum resoluit. nisi fortasse uelit in eo, quod fieri nequit, laborare, seque excruciare, dum simplex omni cura studet dissoluere. compositum e multorum simplicium compositione confla-

tum est, is igitur, qui resoluit, in multa dissoluet. Siquis igitur arbitretur eum qui compositum resoluit, illud in unum simplex dissoluere, falleretur, an non? mea sententia non sane, quin id proxime ad uerum accedit. dicemus tamen compositum in plura coniuncta dissolui, & quod ultimum erit, in unum tantummodo resolui. Oportet igitur hoc nobis compositum esse, ut aperte loquar, simplex in multa componi, neque amplius resolui, atque ultimum compositum in multa coniuncta resolui, neque amplius in unum supremum compositum iri. Neque uero quenquam moueat, quod definitio, quæ posterior est, diuisioni preposita sit. id enim factum est, quoniam nihil nobis impedimento esse debet, quin ea, quæ nobis placuerit, in doctrina nostra priora, uel posteriora constituamus. deinde quatenus ad intelligentiam attinet nostram, composita ex definitione cognita priora sunt, quibus quidem sit rebus, ut non sine ratione definitionem diuisioni præposuerit. Resolutionem fortasse ideo prætermisit, quod eadem, ac compositio ratione subiectæ rei, affectione tantum, ac collatione, ut dictum nobis est, differre uideretur. Præterea contemplatio apud philosophos cognitionem significat. Institui tibi ea breuiter, & enucleate declarare } quoniam alia quoque docendi uia est, quæ ita coarguatur, ut tantummodo capitum commemorandorum gratia tradi soleat. dixit, breuiter, & enucleate, quatenus scilicet ad eos instituendos pertineat, qui ingrediuntur ad studium, deinde addit } Questiones obscuriores silentio inuoluam. } Tria sunt, quæ iuuenes a legendis ueterum libris dehortantur, ac reijciunt (longitudo dictorum, obscuritas orationis: qualis est in libro Aristotelis, qui de interpretatione inscribitur (ac demum reconditæ, exquisitæque sententiæ. Porphyrius igitur, ut ad se alliceret eum, qui audit, ait hunc libellum huiusmodi nequaquam fore. nam neque futurum prolixum, neque difficile explicaturum habiturum illa uerba, breuiter, & enucleate, declarant. cum præterea subiungit, obscuriores quæstiones silentio inuoluam, significat se reconditas, abstrusasque sententiæ non tractaturum. innuit præterea dictata non esse difficilia, cum inquit, quæ faciliores sunt, postremo breuiloquentem se fore indicat ijs uerbis. mediocri coniectura informare conabor, quæ etiam uerba ad doctrinam referenda non sunt. philosophi enim certa scientia res demonstrant, non coniectura assequuntur. Sed Porphyrius hæc ad Chrysaorium scripsit, quasi se ea tantum dicturum spondeat, quæ ad illum instituendum attinerent: cum præsertim philosophorum sit, omnia uera scientia demonstrare, non coniectura coarguere. } Ac ne uager latius, de generibus, ac formis consent ne ipsa per se. &c. } Breuem, facilemque, & obscuriorum quæstionum expertem doctrinam facere pollicitus est. ne quis igitur horum disquisitionem minime inuolutam, & latentem esse diceret, philosophus esse abditam, & retrusam ex ijs clam indicauit, atque innuit. erat ergo de ijs controuersia ualde abstrusa, quæ data opera prætermissa ab eo est. atque ut apertum id fiat, & distinctius perspicatur, quam maxime possumus, plane, ac dilucide exponamus. Ea, quæ sunt, uel per se ipsa constant, uel in simplici intellectione sunt. ea rursus, quæ per se coherent, uel corpora, uel expertia corporis existunt, illa præterea, quæ corpore carent, ut anima rationis compos, atque angelus, auulsa a corpore sunt, alia ut candor, nigror, & brutorum animæ a corporibus non distrahuntur. ex illis deinde quæ per se coherent, alia ante multa, alia posteriorius genita, & in anima nostra sita sunt. Eorum quæ sunt, quædam constant per se, quædam in solis animis nostris insunt, quæ cum animo comprehensa sint, constant, & minime intellecta non coherent. sed ubi primum insister intelligentia, ipsa quoque cessabunt: ut in hippocentauru luculenter uidentur, neque enim usquam extat, sed cum nos equum, centaurumque conspiciamus, nostra cogitatione utroque coniungimus, atque ita compositis hippocentauri nomen imponimus. hircum præterea, & ceruum natura produxit, utrunque nos cogitatione componimus, compactumque hircoceruum

ceruum appellamus. Antisthenes uero genera & species in solis animis hac ratione fretus esse censebat, dicere enim solebat, equum uideo, illam tamen uniuersam equi rationem, seu speciem, quam ideam uocant, non uideo: hominem itidem uideo, at non humanitatem. atque hæc quidem ille, secundum enim sensum solum uiuebat, neque rationis auxilio sese in altiore inuentionem, & speculationem poterat extollere, atque erigere. Eorum igitur quæ constant, alia corpora sunt, alia non corpora. at qui ex ueteribus alij prorsus hæc esse dixerunt, alij uero non esse uoluerunt. ex illis postea, qui ea esse prodiderunt, nonnulli corpora, nonnulli sine corpore esse putauerunt. sed qui corpora illa esse contenderunt, in eadem sententia perstitere. qui uero illa corporis esse expertia dicebant, alij ea esse per se, sunt arbitrati, alij uero in ijs, quæ sensibus percipiuntur: id quod factum est quoniam nouerant illi ea, quæ corpore carent, de quibus feci supra mentionem, uel per se coherere, ut angelum, Deum: uel in alijs nisi, ut candorē, & figuras. hæc igitur alij per se, alij uero in ijs, quæ sensu comprehenduntur, constare dixerunt. quoniam item corporis expertia, quæ in ijs inhaerent, quæ sensu percipiuntur, uel per totam rem sese porrigunt, atque tendunt, ut candor in fuce, uel extremitati solum insident, ut in globosa figura cernitur: alij ea ipsa per totum se perfundi aiunt, alij uero in sola superficie residere tradiderunt. Sunt etiam, qui nonnulla coherere in ijs, quæ constant, arbitrentur, nec alia ratione posse constare, quã locum, & tempus, cum ea contineant, quæ sub sensum cadūt, cum igitur tot sectæ sint, atque hominum opiniones, qui prædicta negent, & affirmant, quæstio de generibus, & formis in controuersiam adduci poterat, sint ne, an in simplici quadam ratione, & intelligentia contineri, prout Antisthenes censuit, dicendum sit. at postquam hæc ita esse, & constare inuentum esset, existebat etiam quæstio quædam subdifficilis, corpora ne essent, an corpore carent, huius nanque diuisionis utraque pars fautores habuit, qui eam studiose defensitarunt, uerum cum esset comperitum ea esse sine corpore, poterat oriri dubitatio, utrum a materia distraherentur, an in multis essent, & a materia dirimi non possent. uerum ut hoc clarius, atque illustrius fiat, exemplum quoddam adiungam. neque enim fortuito, & nullis innixi rationibus alij corpora, alij corporis expertia esse dixerunt, sed ratione quadam utriusque ducti, neque inter se contrarij iure procedunt. Intelligatur annulus, qui alicuius, utpote Achillis, imaginē in scalptam habeat, multæ in super cere sint, & ab annulo imprimantur. ueniat deinde quispiam, uideatque ceras omnes unius annuli impressione formatas, annulique impressionem in mente contineat: sigillum annulo in scalptum, ante multa dicitur: in cerulis impressum, in multis: quod uero in illius, qui illo uenerat, intelligentia remanserit, post multa, & posterius genitum dicitur. idem in generibus, & formis intelligendum censeo. Etenim ille optimus, & præstantissimus procreator mundi Deus, omnium rerum formas, atque exempla habet apud se: ut si hominem efficere uelit, in hominis formam, quam habet, respiciat, et ad illius exemplum ceteros, faciat omnes. at si quis restiterit, dicatque rerum formas apud creatorem non esse, quæso ut diligenter attendat, opifex, quæ facit, uel cognoscit, uel ignorat: sed is, qui nescit nunquam quicquam faciet. quis enim id facere aggreditur, quod facere ignorat? neque enim facultate quadã rationis experte aliquid aget, prout agit natura. ex quo conficitur, ut natura etiam operetur, et si quæ faciat, nõ aduertat. si uero ratione quadam quicquã facit, quod cunctis ab eo factũ est omnino cognouit, si igitur impitũ non est, si dixerimus Deum more hominũ agere, quæ fecit cognouit, si cognouit, quæ fecit, in ipso rerum formas esse perspicuum est, formæ autem in opifice sunt perinde, ac in annullo sigillum. hæcque forma ante multa, & auulsa a materia dicitur. at qui hominis species in unoquoque homine est, quemadmodum etiã sigilla in ceris, & in multis, nec auulsa a materia dicitur. at cum singulos homines animo conspiciamus, & eandem in uno-

quoque formam atque effigiem uidemus, illa effigies in mente nostra insidens post multa, & posterius genita dicitur: ueluti in illo quoque dicebamus, qui multa sigilla in cera uno et eodẽ annulo impressa conspexerat. poterit hæc a corpore separari, cũ non in corpore, sed in anima inhaereat: non separari uero, quoniam per sese separari nõ potest. non secus, quæ formas ante multa posuit ille non linguã solũ, uerum etiam animi, ac uirtutis magister Plato: negat enim has absolute opificis intelligentias esse, sed substantias quasdam, quæ animo cernantur, & ratione intelligantur, in quas opificem inueneri uult, ut ea, quæ hic sunt, ad illarum primarum imaginum exemplum efficiat, ac condat. Porphyrius igitur ait se nolle quærere, num ea quæ corpore carent a materia, ueluti ea, quæ in opifice sunt, separari uel non separari possint, sicut ea, quæ in multis sunt, uel post ea, quæ sensibus percipiuntur, id est ea, quæ post multa sunt. Scire quoque debemus de ijs Aristotelem a Platone dissentire. nam Aristoteles uult illas a materia non posse separari, Plato uero separari censet posse. uerum demonstrare quomodo hi principes philosophorum inter se dissideant, atque discordent, propterea quod Aristoteles formas illas naturaliter intelligere uideatur, ad hoc nostrum institutum nihil pertinet. At quomodo de illis, atque ijs } Promiserat Porphyrius se librum hunc uilem ad Aristotelis summa genera confecturum, quæ progressus, & uix quædam sunt ad uniuersam philosophiæ speculationem, quæ in differendi subtilitate uersatur. Orationis uero multæ partes sunt, enuncians, optans, uocans, imperans, atque interrogans: ac præterea multæ, quas nunc colligere propositum non est. In ijs enim, quæ logica appellantur, quia differuntur subtilius, non de omnibus, sed de enunciante solum oratione agitur. ea enim nũcians animæ est, quæ intelligentia prædita est, & cognitiones ceteræ uero ei animæ attribuuntur, quæ libidinum æstu fluctuant. nam qui rogat, aliqua cupiditate ductus rogat. Si quis item quempiam uocat, aliquo desiderio impulsus uocat, idẽ agit, qui aliquem alloquitur. Sola enunciatio oratio uera est, aut falsa. reliquæ nec ueræ, nec falsæ sunt. ita quoque sit, si quis depreceatur. Enunciatio oratio uel uera, uel falsa est, ueluti si animam mortalem, uel immortalem esse quis demõstret, semper uel uerum, uel falsum dicit. est enim enunciatio oratio, quæ rem esse, uel non esse demonstrat. atque duas habet uoces, quæ termini dicuntur. quarum altera subiicitur, altera de subiecta re quippiam enunciat. sed ut plinius, atque apertius id fiat, exemplum apponam. homo animal est. homo, quia de eo sermo habetur subiicitur, animal de homine dicitur. Simili quoque modo in hac propositione, Anima immortalis est, & cetera eiusdem generis, nam anima subiicitur, & immortalis de illa dicitur. ita fit, ut huiusmodi oratio non immerito illos duos terminos habere dicta sit. Porphyrius poterat quoque de generibus, & formis differere, quatenus ad primam philosophiam peruenit, cum præsertim de formis generum, ac formarum, sint ne apud Deum, an non, oriatur plerumque magna dissensio. uera igitur Platonis opinio est, qui ideas animo cerni, & ratione intelligi, ac per se constare uult. quas & uere, & primo substantias appellat, siue etiam non uera, ut Aristoteli uideatur, naturaliter quærimus, quando consideramus, natura ne in seipsa formarum, generumque rationes habeat. natura enim non facit perinde, ac nix, quæ nulla ratione frigidum reddit quippiam, uel ut ignis, qui adurit, sed omnino ratione quadam efficit, etsi quæ faciat, nõ cognoscit. potest item alio modo naturaliter quærri, utrum uidelicet hæc in multis sint, utrum inquam uniuersum animal, & uniuersus homo in multis esse dicatur. & quenam natura ijs singulis, communis spectetur, sed id, quod ita consideratur, diuidi nullo modo potest. possumus demum de ijs quærere a ceteratione qua solent ijs, qui differunt inter se ita, ut prima illa argumentandi principia non transgrediantur, cum scilicet inuestigant, num quædam sint, quæ aliquibus subiiciantur, & num quæ dicantur de quibusdam. Genera de formis, ac

differentijs, non tamen contra, dicuntur. Dicitum enim est genus, differentiam, speciem ordinem quandam seruare, siquidem genus in uocibus primas tenet, secundum locum species fortitur, ijs intermedia differentia est. Superiora de inferioribus dici debent, non tamen reciprocaur. nam si dixerimus, Omnis homo animal est, uerum dicemus, at si reciprocabitur oratio, ut dicatur, Omne animal homo est, falsum dicetur. omnis item equus rationis expers est, uerum est, sed omne rationis expers equus est, falsum est. nam rationis expers non debet equo subijci, ut nec etiam animal homini, ut recens dicebam, est igitur explicandum qui termini subijciendi, & qui dicendi sint, id quod philosophus deinceps faciet, ac propterea addidit, probabiliter, id est, ut ad eam philosophiæ partem spectat, quæ est quærendi, ac differendi. At quomodo de illis, atque ijs, quæ commemorauimus ueteres, ac præsertim Peripatetici probabiliter differuerint, ratione differendi uteris, qui rerum accidentia inuestigabit, naturaliter disputant illi, qui substantiam inquirunt: diuine uero, qui rerum omnium ortum, & quare unaquæque constet, indagant. Cum itaque naturaliter agere de generibus, & formis, ut iam dictum est, sit ea, quæ sensibus percipiuntur, exquirere, ut Aristotelem fecisse uidemus: diuine, cum ea, quæ in opifice sunt, perscrutamur, ut in Parmenide Plato, hoc loco logico potius more de ijs agendum est, quoniam in logica facultate enunciantibus orationibus utimur, in quibus nonnulla subijciuntur, nonnulla de subiectis dicuntur. Subiectus autem terminus, & qui de subiecto dicitur, aut genus, aut species, aut differentia, aut proprium, aut accidens est. Quomodo de illis hoc est generibus, & formis, nam subito de illis uerba facit, addens præterea, atque ijs, reliqua tria differentiam, proprium, & accidens significauit. nisi forte ita intelligendum sit, ut cum dicat, de illis, genus, differentiam, & speciem, cum addat, atque ijs proprium, & accidens significet. ac præsertim Peripatetici, Porphyrius horum inuentionem, ac doctrinam non sibi asciscit, sed Peripateticis, qui omnibus, qui ea probabiliter tractauerunt, longe diligentiores fuerunt. Peripateticis id nomen hac de causa impositum est. Diuinum Platonem in Academia deambulare solitum, & cum familiaribus congregari, ut corpus exerceat, atque eo pacto ad animi splendorem suscipiendum aptum redderet, literarum monumenta tradiderunt, instrumenta enim si gno sunt, quale artificium opificis sit, ita sit, ut etiam Platonis commilitones, propterea quod disputabant inambulantes in Lyceo, Peripatetici cognominati sint. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles, & Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen obtinuit, profecti sunt. Aristotelici, n. Peripatetici ex Lyceo, Xenocratici Peripatetici ex Academia dicebantur. paulopost tempore Aristotelis studiosi actionis cognomen retinuerunt, & loci abiecerunt, at qui se ad Xenocratem applicauerant, actionis nomen exuerunt, & loci cognomen induerunt, & Academicus uocati sunt. Porphyrius itaque, qui Platonis etiam sectam secutus est, institutionem quandam ad Platonis dicta, & ad summa genera Aristotelis uilem scripturus, tibi inquit, explicabo, quomodo de ijs antiquiores, & præsertim Aristotelici (nam ob hanc causam dixit, & præsertim Peripatetici.) locuti sint. Summa genera decem sunt, Substantia, Quantum, & reliqua, ex quibus sola substantia se sustentat, cætera ad substantiam annuntantur. hæc generis descriptio, quæ danda est, omnibus decem conueniet, uerum non dicendum est, æque ceteris, ac substantiæ conuenire, differunt enim qua sunt, quoniam quicquid acciderit substantiæ, ut uidelicet tanquam genus in species, quæ sub ipsa sunt, diuidatur, in cæteris itidem accidentibus efficietur, distribuuntur enim ipsa quoque in species, quæ sub ipsis existunt, ueluti genera: uerum aliud est, si quatenus substantiæ, & accidentia sunt: atque aliud, si prout summa genera, id quod omnibus commune est, considerabuntur.

GENVS, & species non simpliciter dici uidetur.

CVM Nobis indicauerit, quid libro propositum sit, quanque afferat utilitatem, & quisnam modus ac ratio habenda sit, ut eos instituamus, qui recens sapientiæ studij operam nauant, dixeritque uelle quæstiones difficiles silentio transire, & faciliores in medium adducere, ostenderit et quæ abstruse, & quæ faciles sint, singularum nunc quinquæ uocum doctrinam explanare aggreditur. de genere primū dicit, quoniam cum uoces numerarentur, primæ ei delatae sunt, genus etiam ob hanc causam speciei præponitur, quia multas sub se species comprehendit. & quanquam genus, & species mutuo sese referant, sunt tamen quædam ex ijs, quæ sub eandem rationem cadunt, quibus nonnulla reperiuntur cæteris antiquiora, & eorum causæ dicuntur, quæ admodum patrem filij causam dicimus, & quatenus homines utriusque sunt, priorem, atque simul cognoscuntur, & sese mutuo constituunt eo, quod sub eandem cadunt rationem. quæ cum aliquo conferuntur, quædam substantiæ prius sint necesse est, cum igitur causam eorū quæ cū aliquo comparantur, causam inquam priorē inuestigabimus eam, uel tempore, uel ordine naturæ priorē esse comperimus, & illam per causam antiquorum dicemus. in patre igitur ac filio temporis ratione pater senior est, ipse enim substantia quædam est, quæ filij naturam efficit, igitur hoc modo patrem dicemus filio antiquiorem. Dominus quoque ac seruus, præceptor ac discipulus etsi ex ijs sunt, quæ cum aliquo conferuntur, sola tamen causa non tempore priores sunt, ac tempore quidem itidem essent, si dominus seruo, & magister discipulo senior esset, idem in genere, & specie intelligi par est, genus enim & species sub eandem rationem cadunt, quæ sub eandem cadunt rationē, substantias prius esse necesse est. genus ratione substantiæ ordine naturæ, quia speciei substantiam constituit, prius constat, ac non tempore, genus enim in species diducitur, omne quodcunque diuiditur, prius suis partibus est, utpote quod illas constituat, genus igitur ratione substantiæ specie prius est, priora per substantiam in ijs, quæ sub eandem cadunt rationem, per causam priora sunt, genus itaque specie antiquius est, ac merito primum locum obtinuit. Quinetiam in hominis ortu naturam eiusmodi ordinem seruare exploratum est, atque testatum, nam semen humanum accipiens primo uitale facit atque animatum, paulum procedens, sensum impertitur, & ita animal efficit, tum libidinem, & iram adiungens, ratio nis expers animal constituit, postremo rationem perfectā addens hominem efficit, genera igitur propter substantiam sunt formis priora, sed prout genera & species mutua quadam relatione simul in alijs sunt, & una dimouentur, nomina tantum sunt, quærendum hoc loco dignum putamus, quam ob causam, cum generis doctrinam nobis tradat, speciei, & non differentiæ, ac reliquarum uocum meminerit, dicendum igitur ad hoc est quam breuissime. Genus & species sub eandem cadunt rationem, ut iam dictum est nobis, species enim generis species est, genusque speciei est genus, ea re sit, ut non sine ratione in genere declarando speciei mentionem fecerit. quicumque enim ea, quæ sub eandem cadunt rationem docere uult si unius meminerit, alterum quoque silentio non transeat necesse est. Aristotelis porro regula, ac norma quædam est, qua Porphyrius utitur, eam, quia seruanda est, uobis ignotam esse non uelim. Eum inquit, qui de aliquo ambiguo nomine sit uerba facturus, illius nominis significationes prius explicare necesse est, tum dicere de qua significatione loquatur, nominis enim ambiguitas plerumque etiam errorem creat, cum aliam doctorem, aliam auditor eiusdem nominis significationem capit. si quis exempli

exempli gratia de cœlesti cane sermonem habiturus sit, dicat, canis estus facit, fructusque discriminat, nisi prius dixerit de quo cane loquatur, auditor in errorem inducetur. omnes igitur canis significationes numerandæ sunt, ut distinguatur hoc modo. canis alius cœlestis, alius terrenus, alius marinus est. dicatur postea, de cœlesti uerbum sit ita Porphyrius philosophorum præcepta diligenter tenens omnes generis significationes enumerat, deinde de quo genere loquatur, declarat. quod autem ait, Videtur, non intelligendum est, ac si quis somniasset, diceretque sibi quippiam uisum fuisse, sed tanquam apparet, exploratum est, & constat inter omnes. Simpliciter quatuor modis dicitur. significat enim ad summam, & uniuersæ, quæ significatio apud oratores in usu frequenti est proprie, ut cum inquit Aristo. simpliciter ortus, proprium ortū intelligit, temere, & nulla de causa, ut cum dicimus, herus simpliciter seruum uerberata est intelligendum perinde, ac si diceremus, perperam, hoc est cum nulla causa subsit, qua sic affici seruus debeat. postremo significat, uno modo, qua significatione dicitur simpliciter uerbum proxime ad ueritatem accedit: & ita nunc acceptum est. uidetur, inquit, nec genus, nec speciem uno modo dici debere.

NAM et multitudo aliquorum, qui ad unum quiddam affecti sunt, atque inter se cognatione quadam iunguntur, genus appellatur. qua significatione uocatum est Heraclidarum genus ab unius Herculis relatione, ac nonnullorum multitudinis, qui ea societate sunt inter se coniuncti, quam ab illo traxerunt, qua eadem significatione a cæteris generibus secluduntur. Alio item modo genus dicitur id, a quo aliquis ortus initium ducit, siue ab eo, qui genuit, siue a loco, in quo quispiam natus est. ita enim Orestem a Tantalō, et Hylum ab Hercule genus duxisse: ac Pindarum genere Thebanum, ac Platonem Atheniensem affirmamus. Patria enim perinde, ac pater cuique ortus principium præbet, atque hæc significatio se nobis offerre primum uidetur. Nam Heraclidæ dicuntur y, quibus Hercules initium dedit. Cecropidæ itidem, atque ys agnatione coniuncti appellati sunt, qui a Cecrope sunt profecti. Prius enim genus appellatum est, cuiusque ortus initium, deinde eorum multitudo, qui ab uno principio, ut ab Hercule, quasi quodam fonte manarunt: quam sane multitudinem distinximus, et a cæteris distinximus, cum uniuersam multitudinem, quæ ab Hercule initium sumpisset, Heraclidarum genus uocaremus.

Primam generis significationem exponit, quam ait duas habere relationes, alteram multitudinis ad multitudinem, alteram multitudinis ad unum, ut Heraclidæ ad Herculem affecti sunt, quatenus ab illo genus ducere dicuntur, & eorundem inter se quatenus sibi ipsis patrii, & nepotes sunt, aut quauis alia generis agnatione coniuncti. nam illa dictio quadam, recte addita est, quippe cum alia alteri ex ijs, qui sub eodem genere continentur, relatio sit, ut uel alij aliorum patres, liberi, patrii, uel fratres, aut consanguinei sint ita, ut huiusmodi genus perficiant. Quia significatione uocatum est Heraclidarum genus. cum dixit, Heraclidarum, ipsum ab alijs generibus separauit, ueluti a genere Tantal-

darum, & omnium reliquorum. Ab unius Herculis relatione, ac nonnullorum multitudinis. dux item relationes accipiuntur unius ad unum, causæ, & effecti, ut Hercules ad aliquem Heraclidarum, utpote qui causa sit, effectus uero is, qui ab illo profectus est. id quod uel a patria, uel a loco in quo natus quispiam fuerit, deriuari potest, prout Platonem Atheniensem genere, & Pindarum Thebanum dicimus. Relatio quatuor modis dicitur, ex arte, uel doctoris ad discipulum, uel ex fortuna, ut domini ad seruum, uel electio ne, ut amici ad amicum, uel propter naturam, ut patris ad filium, sed superiorum relatio est ordine naturæ. Quia eadem significatione a cæteris generibus secluduntur. Sciedum est res distinguere alteram ab altera uocibus, & nominibus, quæ quicquam significant. natura enim nobis est comparatum, ut hūc hominem uocari, hunc canē, & reliqua per multa disceremus, & hoc pacto unamquamque rem a cæteris separaremus. Etenim singulæ artes cum nouum quiddam atque etiam admirandum alias artes docere uolunt, proprijs instrumentis nomina imponunt ita, ut res ipsæ declarantur, uerbi gratia, Geometræ cum multas triangularum differentias traderent, aliud scilicet tria latera triangularia habere, aliud duo tantum, aliud tria non æqualia, proprijs nominibus usi sunt, quodque tria æqualia latera haberet, ἰσόπλευρον: quod duo tantum, ἰσοσκελές: quod uero tria non æqualia, ἰσοδύναμον, appellauerunt, cum præsertim ex ijs uocibus uellent unumquodque horum triangularum significare. hæc itaque ratione ex nominibus res significantur. Atque hæc significatio se nobis offerre primum uidetur. Adhibuit latebram obscuritatis, cum nullo interiecto medio ad primam generis significationem explanandam aggressus est, fuerat enim indicandum, de quo genere haberetur sermo: ipsa tamen exempla nobis argumento sunt non de posteriori, sed priori uerba fieri. Primam enim hanc generis significationem uideri nobis in promptu, & magis ex consuetudine cognitam dicit: multorum inquam ab uno uel in multos relationem, quæ prima generis significatio est, se nobis primum offerre, atque in promptu propter consuetudinem inquit esse. Sed est hoc loco non immerito dubitandum, quare primum genus traditum, & non unius ad unum relationem, hoc secundum genus in promptu esse dixerit, cum illud ordine naturæ notius sit, primum enim ex uno unum, multos deinceps ex multis facit. nos hanc dubitationem hoc pacto tollemus, secunda generis significatio, quæ nobis posterior est, est ordine naturæ certe prior. nam ab Hercule unus primum, multi deinde oriuntur, ac prima generis significatio, quæ natura prior est, quantum ad nos spectat, secunda est, & quæ natura posterior est, nobis prior existit: atque, ut summatim dicam, quæ ordine naturæ priora sunt, nobis sunt posteriora, quæque naturæ posteriora, nobis sunt priora. Naturæ ordine, ut res exemplo declaratur, prima sunt materia, & forma. deinde quatuor elementa, tum caro, & ossa, cætera que partes generis eiusdem, potestremo homo. natura enim sic a superioribus ad inferiora defertur. at nos, qui proniores ad inferiora, ac procliuiores sumus a propinquiorebus ad longinquiore respicimus, ab ijs, quibus est maior materiz pars, ad ea, quæ materiz expertia sunt, ascendere uolumus. primum enim hominem cognoscimus, deinde ex ossibus, & carne componi illum percipimus, tum hæc ex quatuor elementis constare, hæc postremo a materia, & forma deriuari intelligimus. ex quo conficitur, ut quæ natura priora sunt, nobis cognitione fiant posteriora: quæque uatura posteriora sunt, cognitione nobis posteriora efficiantur. prima igitur generis significatio patentior est, atque expeditior, implicita, & abscondita secunda. id quod fuit in causa, ut Porphyrius illius significationem se nobis primum offerri, & in promptu esse dixerit: cum præsertim a faciliorebus doctrinā exordiri debeamus.

ALIO quoque modo genus illud appellatur, cui species subicitur, eorum forsitan similitudine,

*Quam expositionem
tenent expostores
alij ut huiusmodi
fuerit in uerbum
scriptum.*

que prædiximus. Etenim id genus formarum, quæ ei subiectæ sunt, initium est, multitudinemque uniuersam, quæ ipsi subiecta est, continere uidetur.

Exstitit autem hoc loco quædam quæstio, quid causæ sit, cur cum aliæ multæ generis significaciones sint, ipse solus has annumerauerit. nam alias generis significaciones esse Plato, qui substantiam, idem, alterum, motum, & statum eius, quod est, genera constituit, planum, atque apertum fecit. at Porphyrius de his non loquitur, quoniam sicut ante dictum est, sibi propositum erat de ijs uerba facere, quæ ad Aristotelem pertinerent. uerumenim uero ipse quoque Aristoteles in physicis materiam unicuique arti subiectam genus appellare uidetur, ut in tignaria, ligna, in medicina, humana corpora, & in omnibus naturalibus, materiam primam. sed Porphyrio propositum non erat hæc proinde, ut physici solent, considerare, sed ut faciunt ij, qui differendi, & ratiocinationes efficiendi uiam, ac rationem docent. Tertiam igitur significacionem connumerat eius generis, de quo philosophis sermo est, quod sane quandam habet cum prædictis similitudinem. nam ut prima generis significatio duas quasdam relationes habet, multorum uidelicet ad unum, & eorum ad sese, ita quoque species ad genus, & ipsæ species inter se referuntur. quemadmodum etiam secundæ generis significatio relationem unius ad unum, & causæ ad effectum habet: sic & genus unius relationem ad unum, ut animalis ad hominem, & effecti ad causam habet. Illi fortasse, qui primi nomina rebus imposuerunt, cum diuersas hominum per sapias discerni uellent, hoc Heraclidarum genus, Acacidarum illud, & aliud Pelopidarum uocauerunt. philosophi postea illos imitati sua genera nuncuparunt. nam ut Heraclidarum genus sub se omnes continet, qui ab Hercule initium duxerunt: ita & animal, quod genus est, efficit. singulorum enim animalium, hominis scilicet, equi, canis, et reliquorum uniuersale animal appellatur. Ac sæpe etiam philosophi sua genera prius inuenerunt, illi postea, qui nomina rebus imposuerunt, ad philosophorum imitationem in hominum familijs genera nominauerunt. id enim in utranque partem intelligi potest. id quod in causa est, ut ambigatur, utrum philosophi huius nominationis principes extiterint, an illi, qui uerba construxerunt. Signo enim est illa dictio, Forstian, quæ addita est, Porphyrium ac de re addubitauisse.

TRIBVS itaque generis significacionibus explanatis, de tertia tantum philosophis habenda ratio est: idque nobis hac descriptione patefaciunt. Genus est, quod de multis, ijsque specie differentibus dicitur, cum quid quicque sit, rogatur, ut animal. Ea enim quæ dicuntur, cum de uno solo enunciantur, uelut indiuidua, prout, Socrates, hic, atque hoc tum de multis, ut genera, species, differentie, propria, accidentiaque, non ea quidem, quæ proprie in uno, sed quæ in multis communiter insunt. estque genus, ut animal: species, ut homo: differentia, ut rationis particeps: proprium, ut facultas ridendi: accidens, ut quod album est, quodque nigrum, sedere.

Generis significacionibus enumeratis ait philosophos de tertio genere habere tantummodo rationem, id quod etiam descriptione apertum fecerunt. Nobis igitur quid descriptio sit, quidque definitio, quæue inter utranque differentia, & quam ob causam ex descriptione, & non ex definitione genus docuerit, cum definitiones subiectæ rei uim, & naturam declarent, propriaque concludant, et nihil inferant alienum, necessario dicendum uidetur. In omnibus itaque rebus au-

unum est, aut plura, & propterea unum quodque aut ex nomine, aut ex oratione significatur. per nomen, cum unum aliquid, per orationem uero quando aliquid pluribus partibus constans intelligitur. uerbi gratia, si hominem significare uelimus, & ex hoc nomine, homo, & ex oratione, quæ est, animal rationis compos, mortale, significabitur. atque ea quidem oratio rerum subiecta significans, uel ex sua sumitur, atque natura, uel assumitur foris. Si igitur ex rei uisumatur, definitio dicitur, quemadmodum hæc, animal rationis particeps, mortale, quæ hominis naturam perficit: si uero ex ijs, quæ aduentitia sunt, eliciatur, descriptio nominabitur, ut, homo animal est, recte gradens, latos ungues habens, & manibus utens. hæc enim hominis naturæ adueniunt, eam tamen non perficiunt, sed tantummodo simul eueniunt. hoc igitur inter definitionem, & descriptionem interest, quod definitio ex ui, atque natura rem apertam facit, descriptio uero ex ijs, quæ aduentitia sunt. dicitur descriptio quasi adumbratio quædam, & primæ picturæ lineamentum rude. nam uelut apud pictores adumbratio imaginis figuram ostendit, non tamen pure, & perfecte: sic descriptio res non tamen plene manifestam reddunt. definitio autem rem clare nobis referat. definitio igitur perfectæ picturæ, & descriptio primæ picturæ adumbrationi comparari potest. quod etiam in causa est, ut ὁμογενῆς dicatur, quod uocabulum & descriptionem, & rudem, crassamque adumbrationem significat. Cum igitur definitiones ex genere, & formarum efficientibus differentijs assumantur, summique generis genus non extet, ut ne ex ipsomet genere, differentijsque generis finitio traderetur (nam de summo genere nunc sermo habetur) non poterat Porphyrius generi dare definitionem: coactus igitur est, illud nobis ex descriptione declarare. Damus, n. operam, ut eas res descriptione explicemus, quas definire nullo modo possumus. Itaque generis definitionem dare nequimus, tum, ut dictum est, quoniam de summo genere, quod reliquis omnibus conuenit, uerba fiunt, summi namque generis non inuenitur genus, desineret enim summum esse: atque ubi genus non est, definitio tradi nullo modo potest. Etenim definitio omnis ex genere, differentijsque definitam rem complementibus constat. at si genus non sit, non erunt quoque differentia formarum procreatrices. Efficientes enim formarum differentiæ sunt, quarum in generum diuisionibus usus est maximus, de quibus post nobis dicendum erit, cuius igitur genus non est, differentie quoque efficientes non sunt. cum itaque genus non sit, nec efficientes summi generis differentia, definitionem quoque non esse sequetur, atque id in causa primum fuit, ut generis definitio non traderetur. Deinde cum genus ambiguum sit non definitur. decem enim modis dicitur, ut in Categorijs uideri potest. ambigua enim definitio nihil est, cur putem posse: sunt enim simplices uoces, differuntque tantummodo a rebus, quæ ex ipsis significantur, & definitio rei uim, & naturam significat. quorum autem in cunctis definitiones eadem sunt, res quoque eadem sint esse necesse. unam igitur communem ambiguum definitionem tradere non possumus. quo sit, ut ea per descriptionem explanentur. In ijs enim, quæ in ui, ac natura differunt, esse eadem accidentia possunt, ueluti hoc in loco luculenter uidetur. Sunt enim inibi multa genera, quæ propter uim, atque naturam inter se differunt, una tamen, atque eadem omnibus inest ad comprehensas sub seipsis (species) relatio. Summi igitur generis Porphyrius ideo non definitionem, sed descriptionem tradidit, ut ea posset omnibus decem conuenire. Dubitabit fortasse de his quispiam, & inquiet, si ambigua non definiuntur ex eo, quod tenues, simplicesque uoces sint, definitioque rei naturam significet, qua nam ratione describi possunt? siquidem descriptio accidentium conuersione subiectam ipsis uim declarat, in eius, n. naturæ, cui hæc accidunt, cognitionem nos inducit. cum itaque unam ambiguum definitionem tradamus, & per eandem in subiectæ naturæ cognitionem deueniamus, non modo nomina, sed res etiam easdem esse cõperitur. nihil

nihil est, cur fieri posse putem, propterea quod decem genera Substantiam, Quantum, Quale, & reliqua in quibus genus ambiguum est, esse eadem inueniremus. hæc sane dubitatio reiecta, & confutata esse poterat a nobis, cum nuper diceremus, in ijs, quæ ex ui, atque natura differunt, posse eadem inesse accidentia, ex quibus assumetur descriptio. fieri igitur potest, ut decem summa genera eandem relationem suscipiant. nam substantia cum in se corporeum, & corporis expers contineat, est eorum genus. Quale item, cum plures species comprehendat, ipsarummet genus est. idque in reliquis eodem modo. ita fit, ut in omnibus decem generibus una, atque eadem relatio accidat. proinde mirum non sit, si una eorum descriptio tradatur, quæ per uim, ac naturam differunt, & ea, quæ describantur, eadem non sint. quippe cum decem genera id commune habeant, ut unum eorum quodque de multis, non tamen de eisdem, aut totidem dicatur, ac si forte unum de quatuor formis diceretur, & de totidem aliud, hæc quidem inter se cõuenient, quatenus de multis dicerentur, sed quia non de eisdem, ac talibus, discrepant. descriptio igitur, uel ex ui nominis, ac notatione, aut ex fortuita proprietatũ concursione sumitur, eaque proprie descriptio dicenda est. ex notatione, hoc modo. homo dicitur *ἀνθρώπος ἀπὸ τοῦ ἀνο, καὶ θεωρεῖν*, quod supra aspiciat uel *ἀναθεῖν ἀ ὀπρωτε*, id est contemplans quæ uidit, uel quod oculos altissimũ locum obtinentes habeat, ex quo plurima circumspectant. Ex fortuita concursione sic. homo animal est, recte gradens, latos unguens habens, ut supra diximus. Definitio omnis, uel ex materia assumitur, uel ex forma. ex materia, ut cum iram sanguinis feruorem in corde definimus: ex forma, cum iram esse dicimus ulciscendi libidinem: uel ex utrisque, ueluti cum iram sanguinis in corde feruorem, & ulciscendi libidinem definimus. ac cũ ex sola materia, solaue forma sumitur definitio, imperfecta est, cum uero ex utrisque, perfecta est, quando quidem utrunque significat. genus enim materiae simile est, formæ differentia. hæc igitur definitio ad nullas alias res, quã ad eas, quæ intermediæ sunt, transferri potest. siquidem nec prima, nec ultima genera, necque differentias, quæ generis uim naturamque complent, sed species, uelut indiuidua, solum habeat. ex quo conficitur, ut eorum descriptiones, & non definitiones tradantur, ut Socrates est Sophronisci filius, Atheniensis, philosophus, uentre opimo & adipato, caluus, naso adunco, & si quid præterea in eo insit. Quicunque dicunt genera, quæ appellantur generalissima differentias, quæ uim generis absoluunt, habere, non recte dicunt: quoniam eas tantum differentias habent, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis uim, naturamque cõplent. Omne enim efficiens effecto prius est, nam ut paulo ante dicebam, efficientes aliquorum differentia longe prius diuidentes erunt, quam summa genera. ratione igitur utens, & mortale quæ homines efficiunt: & mortale, ac rationis expers, ex quibus equus efficitur, genus, animal. s. diuidunt, quod in ratione utens, & rationis expers, mortaleque, & immortale distinguitur. recte igitur effectrices aliquorum differentias effectis antiquiores esse dictum est. ac nihil summo superius est. his ita distinctis cum summi generis dare definitionem non posset, merito ex descriptione illud patefecit. Verũ ut percipiamus quænam, & unde hæc descriptio sumpta sit, erit hoc pacto dicendum, ut etiam intelligamus non fortuito, & temere harum quinque uocum doctrinam a Porphyrio traditam fuisse. quin etiam omnem uocem sub harum aliquam necessario reduci oportere, & Porphyrium hanc rationem prudentissime constituisse. Ex uocibus aliarum nihil quicquam significant, cuiusmodi sunt cnax, blityri: aliarum significant illarum quidem, sed uel de uno dicuntur, prout sunt Socrates, Plato, & ceteri singularium: uel de multis. Quæ de multis dicuntur, uel ex ui, atque natura, uel per id, quod aduentitium est, dicuntur. quæ præterea ex ui, atque natura, uel in questione, qua quid quicque sit, quæritur, uel in qua qualitas inuestigatur, efferuntur: si in questione, qua rei natura indagatur, aliqua uox enuncietur, uel de ijs dicitur, quæ specie differunt, ut genus, uel de ijs,

quæ differunt numero, ut species. si in questione, qua rei qualitas, & modus inuestigatur, erit differentia. quæ uero ex eo dicuntur, quod ad rei naturam annititur, uel de una specie, ut proprium, uel de multis, ut accidens dicuntur. Hæc sane diuisio quascunque uoces necessitate quadam sub illis quinque, nec pluribus, aut paucioribus contineri demonstrat. Voces tum significare, tum non significare diximus. quæ significant, uel de uno dicuntur, uel de multis. de multis dicuntur Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. seprem igitur uoces cum sint, nihil significantes, de uno dicuntur, & quæ de multis dicuntur, genus inquam, species, differentia, proprium, & accidens, duabus primis sublatis, quinque superant. uoces non significantes ideo abijciuntur, quia nec grammaticis, nec oratoribus, & multo minus philosophis ulli usui sunt. Illæ præterea, quæ de uno dicuntur, remouentur, quia singularium rerum sunt. & singula infinita cũ sint, comprehendi scientia non possunt. at philosophi certa scientia tradere omnia profitentur. Scientia enim, ut in Cratylo inquit Plato, dicta est, quod in quendam definitum questionum statum, ac metam perducatur. Singula igitur res cũ multæ sint, atque interminatæ, scientiam non faciunt. quæ uero de uno dicuntur, de singulis dicuntur, id quod in causa esse potissimum uidetur, cur prætermittantur, & quinque tantum restent, uidelicet genus, species, differentia, proprium, & accidens, sub quibus omnia, quæcunque finita sunt, atque a deo uocem unamquamque inuenies, licet motionem, aut infinitatem quispiam nobis obijciat. Sed de ijs sit in diuisione satis iam dictum. deinceps autem copiosius agendum est, proinde ordiar. Vocum aliarum non significant, ut cnax, blityri: aliarum significant, de ijs quæ nullam significationem habent, nulla habetur ratio, appellanturque hæc *ἀκατηγόρητοι* ex eo, quod de nullo dicuntur. Significantes, uel de uno dicuntur, ut Socrates, Plato, uel de multis, ut genera, species, differentia, propria, atque accidentia. de singulis non loqui philosophos diximus. quæ de multis dicuntur, uel ex ui atque natura, ut genera, differentia, speciesque, quæ rei naturam absoluunt, dicuntur: uel non ex ui, atque natura, ut propria, & accidentia, quæ rei subiectæ naturam non complent. earum rursus, quæ ex ui, atque natura dicuntur, aliarum de specie differentibus, ut genera, & differentia, aliarum de numero differentibus dicuntur, uelut indiuidua, quæ inter se differunt non specie illa quidem, sed materia, & numero, ut fuscus equus, & fuluus, non enim specie quicquam discriminis habent inter se, sed numero, & materia. Denarius præterea numerus ex decem non compactis, ac pene conflatis, sed distinctis componitur: ex decem enim coniunctis nunquam denarius numerus componeretur. Ex his igitur generis, speciei, & differentia discrimen habemus. hoc uero modo discordant inter se. species de numero differentibus dicitur, genus uero, ac differentia de multis, ijsque specie differentibus dicuntur. quædam etiam in questione, qua quid quicque sit indagatur, enunciantur. in questione qua quid aliquid sit, inuestigari dicitur, quoniam si quis nos rogauerit, quid homo sit, animal, quod genus est, respondebimus, id quod in causa est, ut genus in questione, qua quid quicque sit, quæritur, dicatur. In questione uero, qua rei qualitas quæritur, dici quippiam affirmamus, quia ipsa qualitas aut modus inuestigatur. si, uerbi causa, rogauerit nos quispiam, quale animal homo sit, rationis compos, differentiam uidelicet, respondebimus. ex quo efficitur, ut differentia in questione, qua rei qualitas indagatur, enunciarum dicatur. liquid ex ijs apparet, quid inter genus, & differentiam interfit. nam hoc in utrisque discrimen est, ut genus in questione, qua quid quicque sit, differentia in questione, qua qualitas inuestigatur, enuncietur. Præterea ex illis, quæ non dicuntur ex ui, atque natura, aliarum in una quadam specie insunt, ut propria, aliarum in multis, ut accidentia. quæ sane diuisio, proprii, & accidentis nobis discrimen declarat. proprium enim in una specie, & accidens in multis inest. cum igitur hæc diuisio se habeat ad hunc modum omnem uocem sub harum quinque una constitui necesse est. perspicuum quoque est, nos ex

proposita diuisione uniuscuiusque, uel definitionem, uel descriptionem tradere posse. modo eligamus quæ ad cuiusque rei explanationem utilia esse uideantur. quemadmodum ipse Porphyrius fecit, cum ait { Genus est, quod de multis, iisque specie differentibus dicitur, cum quid quicque sit, rogatur, ut animal } illa autem uerba, de multis, genus ab indiuiduis distinguunt, quæ de uno tantum dicuntur. cum adderet, iisque specie differentibus, genus a specie, & proprio separauit. subiungens postea, cum quid quicque sit, rogatur, genus a differentia distinxit, atque ab accidente, igitur cogitanti mihi uocum differentiam uelle indicare, & demonstrare Aristotelem his tantum quinq; necessario usum esse, diuisionem amplificare, & diffundere quodammodo, ac quasi dilatare uisum est. Cum septem uoces sint, duabus reiectis, quinque tantum supersunt. Philosophus nolens nunc causam asserre, ob quam his solis usus sit Aristoteles, sed duntaxat significantium quinq; uocum differentiam declarare, arctius hoc pacto diuisionem compressit. Ea, inquit, quæ dicuntur, cum de uno solo enunciantur, tum de multis, & superiorem diuisionis partem reliquit. ac de uno quidem dicuntur, ut indiuidua, ueluti Socrates, Plato, Alcibiades, de multis uero, uel de specie differentibus, uel numero. de specie differentibus genus, differentia, & accidens dicuntur. Genus enim, uelut animal, de multis formis, homine scilicet, equo, & cane dicitur. differentia, ut rationis compos de angelis, & hominibus dicitur, & mortale de iis etiam, quæ sunt rationis expertia, ut de equo, & reliquis belluis. accidens de multis formis, ut de candore, nigrore, statione, motioneq; dicitur. species, & proprium ea sunt, quæ de numero differentibus dicuntur. Quæ de multis, & specie differentibus dicuntur, uel in quæstione, qua quid quicque sit: uel in ea, qua modus, aut qualitas inuestigatur, dicuntur. in quæstione qua quid quicque sit, quæritur, dicitur genus, in qua qualitas, dicitur accidens, quod separari non potest, in qua uero modus, dicitur accidens, quod separari potest: nam interrogati quomodo se habeat Plato, bene illum ualere, aut ægrotare, aut sedere aut aliquid eius generis respōdebimus. Dubitare nunc par est, si quinque uoces memoratæ sub uoce tanquam earum genere constituantur, & genus sub ipsis constituatur, num sit genus summi generis, hoc enim ita abhorreret, ut nihil posset esse peruersius, dicimus igitur genera non ueluti res, sed tanquam uoces sub hac diuisionem adduci. nam ut summæ res nō amplius sub quid communius adducuntur { Ea, quæ dicuntur } iis uerbis quomodo exposita generis descriptio ipsum genus ab alijs distinguat, declaratur { hic, atque hoc } hæc enim singula sunt, quæ de uno dicuntur, ac recte mea quidem sententia philosophi hunc loquendi modum a singulis traxerunt. nam cum demonstramus, hoc, illud, & aliud dicimus, siquidem hæc & sub demonstrationem, & sub sensum cadunt. homo enim, atq; animal si uniuerse sumantur, pari quoque modo cæteræ uniuersæ res, quæ in opifice sunt, neque sub demonstrationem, neque sub sensum cadunt. recte igitur singulas res, non autem uniuersas in demonstrationem redegerunt. Indiuidua ideo dicuntur, quia nec in specie similia, nec dissimilia diuiduntur, id quod genera, & species faciunt. nam indiuidua una cum diuisione corrumpuntur, ac tolluntur, animal enim, quod in me est, commune non est, sed mihi soli ascribitur. simili quoque modo rationis compos, atque omne compositum, ex quo homo definiatur { Accidentiaque, non ea quidem, quæ proprie in uno, sed quæ in multis communiter insunt } singula de multis non dicuntur, ut candor in corpore, uel in Ulysse cicatrix, ex qua a nutrice agnitus est. in solo enim Ulysse cicatrix inerat, secus quonam pacto nutrix illum ex cicatrice agnouisset? propterea igitur dixit accidentia, quæ in multis communiter, & non quæ in uno insunt. id est uniuersam, & non singula { estque genus, ut animal } apertissimam doctrinam reddit, cum exemplum uniuscuiusque quinque uocum superponit.

GENERA Igitur ab iis, quæ de uno tantum efferuntur, intersunt, quod ea de multis enunciantur: ab iis autem, quæ in multis dicuntur, a specie, quoniam species etsi de multis, non tamen specie, sed numero differentibus enunciat. homo enim species cum sit, de Socrate, deque Platone dicitur qui inter se nō specie, uerum numero solum discrepant: at animal, quod genus est, de homine, boueque, atque equo dicitur, qui non solum numero, sed etiam specie sunt inter se diuersi. Præterea genus, & proprium hanc habent dissimilitudinem, quod propriū de una tantum specie, cuius proprium est, deque indiuiduis, quæ ab eo continentur, enunciat, uelut facultas ridendi de solo homine, ac singulis hominibus efferatur: at genus non de una specie solum, sed de multis etiam, iisque specie differentibus enunciat.

Quomodo genus ex descriptione a reliquis separetur, hæc nobis clarum, ac perspicuum faciunt. Etenim genus de multis, iisque non numero solum, uerū etiam specie differentibus, species autem de numero differentibus tantum dicitur. una igitur quæque uox hoc modo definienda est, aut describenda. Genus uox est significans, quæ de multis, specie autē differentibus dicitur, cū quid quicque sit, quæritur. Differentia est uox significans, quæ de multis, specie autem differentibus, in quæstione, qua quale quid sit indagatur, dicitur. Species est significans uox, quæ de multis, iisque numero differentibus dicitur, cum rei natura querendo inuestigatur. Proprium uox est, quæ significans quippiam rei naturæ aduentiū de una tantum specie dicitur. Accidens uox est, quæ aliquid foris adueniens significat, deq; multis, iisque specie differentibus, cum quale quid sit, aut quomodo se habeat, inuestigatur, dicitur { Ac animal, quod genus est } scire debemus, quæcumque differunt specie inter se, numero quoque differre: at quæ numero differunt, non itidem specie differunt. neq; enim reciprocatur oratio, nec quenquam fugiat, Idem triplici modo dici, idem genere, idem specie, idem numero. genere, ut homo, equus, bos. siquidem hæc omnia & animalia, & eadem ratione generis existunt. Specie, Theo, Socrates, Plato, nam hi specie sunt idem. numero, ut homo, uir, & ensis, ac gladius, igitur si Idem tribus modis dicitur. Aliud quoque totidem dicitur. quædam enim genere differunt, & alia inter se, uel specie, uel numero erunt. quæ autem genere uicissim differunt, semper uicissim specie differunt, & numero, uelut homo, & candor, differunt enim inter se genere. nam homo animal est, & candor qualitas. quin specie itidem differunt, quoniam alia est hominis, & alia candoris species, uel ex eo, quod homo animalis species est, quod genus est. candor autem est qualitas, & coloris species, sed numero pariter differunt. Homo, n. qui percipi sensibus potest, ut Socrates, alius, ac diuersus est a Platone. recte igitur ea, quæ genere distant, specie quoque, numeroque dissimilitudinem habere dictū est nobis. Quæ specie disparia sunt, numero quoque sunt differentia, nō tamen etiā genere: ut homo, equus, inter quæ speciei ratione uariū interuallum interiectū est, quādoquidem alia est hominis species, & equi alia. quæ numero nihilominus sunt alia. nam alia est hominis, & alia equi materia. genere uero cum utraq; animalia sint, repugnantia non sunt. Quæ uero ab alijs numero absunt, nec genere, nec specie inter se omnino interesse oportet: ac propterea dixit { Qui non solum numero, sed etiam specie sunt inter se diuersi } proinde, ut si compertum iam esset, ea, quæ inter se specie discrepantia sunt, numero quoque semper habere uarietatem.

HOC demum genus, differentie, communiaque accidentia inter se differunt, quod etsi differentie, communiaque accidentia de multis specie diuersis dicuntur, non tamen in ea questione dicuntur, qua quid sit, sed qua quale quippiam sit, queritur. Cum enim rogamur quidnam illud sit, de quo hæc dicantur, non differentias, et accidentia, sed genus respondemus. uel ex eo, quod differentie, atque accidentia non in questione, qua quid res sit, sed qualis sit, queritur, enunciantur, nam si quispiam roget, qualis sit homo, rationis particeps respondebimus. et cum querat, qualis coruus sit, murrum esse dicemus: illud enim differentia, et hoc accidens est. sique roget, quid homo sit, animal dicemus, quod hominis genus est.

DIFFERT, inquit, genus a differentijs, et accidentibus uniuersis, quod illa in questione, qua rei qualitas, aut modus queritur, genus uero in ea, qua quid res sit, dicitur. Ex ijs, quæ in questione, qua quid quicquid sit, queritur, dicuntur, genus a specie discrepat, quoniam species de multis, ijsque numero differentibus, genus uero de multis, et specie differentibus dicitur. Est item inter genus et proprium discrimen, propterea quod proprium uni tantum speciei, et genus multis conuenit.

EA re factum est, ut cum genus in multis dicatur, ab ijs omnibus dissideat, quæ de uno solum dicuntur. Quod autem de specie differentibus enuncietur, ab ijs diuersum sit, quæ tanquam species, et propria dicuntur. quod cum quid res sit indagatur, a differentia, communibusque accidentibus, quæ non in questione, qua rei natura, sed qua qualitas, uel modus inuestigatur, de ijs, in quibus quippiam dicitur, enunciantur.

BREVIUS demonstrat, quomodo unumquodque eorum quæ in generis descriptione sumpta sunt, conuenienter, et necessarie sit acceptum. Cæteræ enim uoces non dicuntur in questione, qua quid res sit, sed qua modus, aut qualitas inuestigatur. id quod intelligendum est in differentia, communibusque accidente. Si enim quispiam nos roget, qualiter se habeat Socrates, ualere illum uel ægrotare respondebimus. Sunt enim aliæ quoque præter accidentia differentie, ut repandum, caluum, et aduncum esse. Illud autem, quod ait { cum quid res sit indagatur } differentijs et communibus accidentibus, quæ non in questione, qua quid res sit, queritur, dicuntur, sed in ea, qua qualitas, aut modus inuestigatur, genus distinguit. Differentia enim in questione, qua quale quippiam sit, et communia accidentia in questione, qua quomodo se quippiam habeat, dicuntur, aiunt nonnulli, cum dicat { uel modus inuestigatur } ea accidentia significare, et complecti, quæ proprie in aliquo insunt. Nos autem etsi in questione, qua quomodo quid se habeat, ea dici affirmauerimus, ex ijs tamen esse asseruimus, quæ de uno dicuntur. Ab illis enim quæ dicta sunt supra, genus distinxit, cum diceret, de multis, et ab ijs, quæ de uno dicuntur, et ab indiuiduis genus separauit.

IN HAC igitur descriptione, quæ generis notioni constituta est, neque abest quicquam, neque redundat.

DEFINITIONES et uni tantum rei conuenire, et totam illam rem complecti debent. Definitiones enim ea potissimum de causa δεισιμονι dicuntur, quod rem definitam complexu suo coerceant, et contineant, exque a similitudine terminorum, quibus possessiones a possessionibus diuisæ sunt, qui δεισιμονι dicuntur, nomen inuenere. Duo sunt, quæ definitiones uitiosas faciunt, uel cum quippiam superest, uel cum quippiam, quod ad eam rem, quæ explicatur, pertineat, præmittitur. nam ut omnibus constat, philosophos omnia modo et ratione fecisse, ita recte, atque ordine factum uidetur, quod omnem uirtutem esse mediocritatem, et omnem mediocritatem duo uitia contraria, defectiorem uidelicet, ac redundantem habere dixerunt. Iustitiæ enim, ex qua una uirtute boni uiri appellantur, fraudatio, et effrenata cupiditas et auaritia habendi, atque acquirendi adiacent. Is enim fraudat, qui minus, quam oporteat, facit. auarus, et cupidus ille est, qui uult, quam deceat. Fortitudo item uirtus est, cui timor, et temeritas utrinque apponuntur. sed temperantia quæ uirtus est, quæ in altera parte fatuitatem, in altera proteruitatem habet adiunctam, fatuus est, et stolidus, qui parum commouetur, proteruus, et impotens, qui nimium et inordinate concitatur. Prudentia ab imprudentia, et insolentia circundatur. quæ admodum igitur in ijs, ita quoque in definitionibus res se habet. illa propria definitio est, quæ propriam rem definiens nihil extraneum complectitur, neque quicquam, quod ad rem pertineat, prætermittit. Ei enim proinde, ut cæteris uirtutibus, redundantia, ac defectio, ut dictum est, adiunguntur. Definitiones enim, in quibus aliquid superfluit, rem contrahunt, et coangustant. illæ uero in quibus abest quippiam, rem dilatant, sit enim hominis definitio, animal, mortale, rationis particeps, quæ hominem a cæteris rebus omnibus dislingat, omnesque homines comprehendat. ita sit, ut definitio mutila, ac decurtata rem latius manare cogat. si uerbi causa, hominem definiamus, et esse animal mortale dicamus, res amplificabitur: siquidem animal mortale non solum homo est, sed bos etiam, et canis, aliisque per multa. at superuacanea definitio rem coarctat. si quis, uerbi causa, hominem definiens dicat, animal rationis compos, mortale, grammaticum, ea definitio non omnes homines, sed grammaticos tantum, idque iure optimo, continebit. Res quoque compositiores sunt, eo magis coangustantur, quo simplices, eo magis dilatantur, ad pluraque extenduntur, et propagantur. ex quo conficitur, ut ad primum, communeque rerum omnium principium quam proxime accedant. idcirco animal ipsum per se, multis, rationi uero compositi adiunctum paucis conueniet: at rationis compos animal mortali annexum, pauciora etiam comprehendet: si insuper grammaticum addideris, longe pauciora continebit. Quo fit, ut diminutæ definitiones rem amplificent, et collatent, redundantes uero in exiguum, angustumque concludant. Cum itaque hæc uellet innuere Porphyrius, hanc generis definitionem, aut descriptionem ait ab illis duobus alienam esse, quæ definitiones deprauare solent. Hæc enim neque superuacanea est, neque imminuta, ut propterea se propaget latius. Triplex genus esse diximus, unum ante multa, alterum in multis, tertium post multa, quod etiam posterius genitum appellatur, et intelligentia comprehensibile, tanquam ipsum in mente nostra sit, et concipiatur. igitur Porphyrio non de eo, quod ante multa, aut de eo, quod in multis esset, sed de illo, quod est post multa, id est quod notitia comprehenditur, dicere propositum erat. ac propterea inquit, In descriptione, quæ generis notioni constituta est, hoc est, in descriptione generis, quod intelligentia, notitiaque comprehenditur, quod est, cum rem ex eadem notione, qua a nobis animo intellecta fuerit, definimus, ut si propria nostra nos opinione conceperimus hominem, ex eadem ratiocinantes dixerimus, homo animal est rationis compos mortale. Porphyrius in hac generis descriptione neque abesse quicquam dicit, neque redundare.

D E S P E C I E,



SPECIES de uniuscuiusque forma dicitur, qua significatione dici solet. Est hercle digna species imperio.

PERFECIT sermonem de genere institutum, erat igitur secunda de quinque uocibus differentia, sed quoniam genus, & species ex ijs sunt, quæ sub eandem rationem cadunt, & simul existunt, simulq; cognoscuntur, speciem ante differentiam collocavit: non tamen naturalem ordinem secutus, sed doctrinæ. siquidem in generis tractatione speciei fecerat mentionem, ac propterea auditorem multum hæsitantem tenere nõ oportebat. Aristotelis norma utitur, prius enim omnes speciei significationes annumerat, deinde qua de loquatur, refert, nam multæ sunt speciei significationes, præter has, quas nunc in medium adducere nihil opus est, præsertim cum satis sit eas explicare, quæ ad differendi subtilitatem attinere uidentur, ait igitur duas esse speciei significationes. dicitur enim species de uniuscuiusq; forma, & pulchritudine, qua quidem significationes speciosos, & deformes dicimus. Species item dicitur, quæ sub genere collocatur, & de qua genus cum quid res sit, quæritur enunciatur, quanquam æque ultimæ, ac non ultimæ speciei hæc definitio sit. Species etiam dicitur, quæ de multis numero differentibus effertur in quæstione, qua rei natura exquiritur, uerum quoniam horum nominum, ultimæ inquam, & non ultimæ, significationes communi usui nondum cognitæ erant, ipsæ progrediens eas declarat, accipitque substantiam, tanquam præstantissimum omnium genus, quippe per se constat, summumq; genus existat, & cætera omnia ad eam ita annuntantur, ut eius beneficio sint, & sub intelligentiam cadant, & sine illius auxilio constare nullo modo possint. est igitur per speciem substantiam coherere per sese, nouemq; reliqua ei accidere. Substantiam igitur assumit, ex qua catenam huiusmodi connectit. Substantiæ aliud corpus est, aliud corporis expers. corpus aliud animatum, aliud inanimatum. animati aliud animal est, aliud plâta, aliud uero utriusq; particeps, & ex utrisq; compositum, quod ζωον uocant, animalis aliud rationis compositus, aliud expers, rationis compositus aliud angelus, aliud homo, aliud dæmon, in ijs igitur substantiis summum genus est, ultima uero species homo, at que his intermedia interiecta sunt, genera, & species dicuntur: species uidelicet si ad superiora, & genera si ad inferiora referantur. uerum omnes species & ultimas, & medias prior descriptio continet. sic enim inquit, Species est, quæ generi subiecta est, de qua, cum quid ea sit, inuestigatur, dici genus potest. Vtraque enim descriptio subiecto eadem est, solæ relatione differens, multa profecto, quæ subiectæ rei ratione eadem sunt, relatione differre comperiuntur, uelut ascensus, & descensus. idem enim subiectum scalas habent, relatione tamen differunt. Descensus enim est a superioribus ad inferiora declinatio, ascensus uero ab inferioribus ad superiora regressio. Simili quoq; modo in semine, & fructu res se habet. Eis enim idem subiectum est, at ratio, ac ratio indifferens, ut igitur in his, ita etiam in duabus speciei descriptionibus uidetur, quarum altera a genere initium sumens in speciem definit, altera cum a specie incipiat, in genus terminatur. sola itaq; relatione inter se differunt, ratione subiectæ rei eadem sunt. Sumit autem initium a notiori speciei significatione, quoniam cum specie, de qua philosophi loquuntur, quandam habet similitudinem, ut enim species, quæ pulchritudine significat, singulas hominis partes complectitur, ita & species, de qua philosophi differunt, omnia, quæ singillatim distincta sunt, comprehendit. } Species de uniuscuiusq; forma dicitur } superius cum de genere loqueretur, prius quam de quo uerba faceret, explanauerit, uarias generis significationes edocuit. ita etiam hoc in loco cum de

specie agat, illius significationes exponit, & de qua loquantur philosophi, palam nobis facit.

ILLVD quoque species appellatur, quod generi a nobis iam definito subicitur, ex quo hominem animalis speciem esse, cum animal illius genus sit, & candorem coloris, & triangulum figuræ speciem dicere consueuimus.

Enumeratis speciei significationibus declarauit de qua sermo habeatur, nunc uero ex hac significatione quasi exemplo quodam docet quomodo species ad genus referatur. Triangulum enim & figuram sumit, ac triangulum, ut speciem, figuramq; ut genus. Nonnulli uitio uertunt Porphyrio, quod figuram trianguli genus, & triangulum figuræ speciem esse posuerit. Aiunt enim, In quibus prius quicquam est, & posterius, id, quod de ijs communiter dicitur, genus esse non potest: sed triangulū quadrato prius est, illud enim ex tribus lineis, hoc uero ex quatuor conficitur, & tria priora sunt quatuor, alio item modo argumentantur sic, omne quadratum in duo rectorum angulorum triangula diuiditur, nam si in quadrato ex A, B, C, D, confecto mediam lineam ab A, ad C, duxeris, quadratum in bina triangula rectorum angulorum secueris. alterum ex A, B, C: alterum ex A, D, C, constat, quo fit, ut quadrato sublato triangulum non deleatur, sed si auferatur triangulum, fieri non poterit, ut quadratum remaneat. quare triangulum naturæ ordine prius est quadrato. idem quoque in cæteris rectorum linearum figuris demonstrabitur, in ea uidelicet, que quinque, eaq; que sex angulis constat: in reliquis quoque quatuor, quæ in triangula diuiditur, triangulum igitur ijs omnibus prius est, figura ergo, quæ de ijs communiter dicitur cum illorum genus esse nullo modo possit, neque illa eius species erunt. sequitur igitur Porphyrium minus proprie triangulum figuræ speciem dixisse. qua quidem in re omnes, qui Porphyrium defendere nituntur, hallucinantur, & improprie, sed exempli gratia id dictum esse aiunt. nos uero ueritatis studiosi omnem dubitationem his uerbis tollemus. Si triangula quadratorum elementa essent, ut quadrata nunquam nisi ex triangulis componerentur, uelut in Timæo dicere uidetur Plato, cum omnes rectorum linearum figuras in triangula ueluti in simplicissima elementa dissoluit, uerū esset, quod dictum est, & primæ in figuris sine ulla dubitatione triangulo deferendæ essent, neq; figura esset ipsorum genus, modo illud quoq; uerum foret, non esse genus, quod communiter de ijs, in quibus prius, aut posterius inest, dicitur. Nos enim nulla nunc necessitas cogit, ut ex ea causa fieri quadratum dicamus, quod triangulum prius subijciatur. nã Euclides Megaricus philosophus acutus sane homo, & probatus in sexto, & quadragesimo præcepto absq; triangulo ex rectis lineis effici posse quadratum docet. Nihil enim obstat, quin sine triangulo ex quatuor lineis rectis fieri quadratum possit, quare falsum illud est, quod dicebatur, sublato triangulo fieri non posse, ut quadratum superesset, quid? si mediam lineam adijcientes quadratum in duo triangula diuidimus, iccirco prius, & ut elementum, uel partem esse triangulum dicent? cum præterea possimus ipsum quadratum in duo quadrata, quorum altera pars longior sit, diuidere, & opposita latera coniungendo, & separando, ut ab A, ad B, efficere duo quadrata, in quibus altera eorum par longior sit, quæ separabunt C, & D: quadrata ita affecta ipso quadrato priora esse dicentur? nam hac ratione contrarium quadratum eo quadrato, cuius altera pars longior est, prius existeret, si quadratum, cuius altera pars est longior, quod unum latus habet alterius duplum, bifariam in duo quadrata diuideremus. Atqui si in circulo media linea ducatur, circulum in duos semicirculos secabit, hic erit A, hic uero B, & perspicuum erit unumquenque semicirculum figuram esse ex extremitate lineæ semicirculi, & recta, linea media constam.

conflatam. ita fiet, ut simplex circularum figura ex mistis semicirculis conficiatur, simplici que circulo mistus prior sit ordine naturæ. Quomodo igitur in his cogitatione nostra hanc diuisionem facimus, nec tamen necesse est quadratum, cuius una pars longior est, prius esse quadrato per naturam, præsertim cum quadrata longiora in duo quadrata diuidi possint, si alterum e lateribus duplis alterius sit, ac in super si mistæ circuli figuræ ex rectis lineis, & extremitatibus confectæ priores sunt: ita etiam quadratum a media linea in duo triangula diuiditur, nec ob eam causam quadratum ex triangulis componi, & triangula quadrato priora esse natura necesse est. recte igitur Porphyrius figuram esse quadrati genus scripsit.

QVOD si in genere definiendo, speciei fecimus mentionem, cum genus esse diceremus, quod in multis dicitur usque specie differentibus, cum rei natura quæritur, & speciem nunc esse dicimus, quæ definitio generi subijcitur: illud percipiendum est, quoniam genus alicuius genus, species alicuius species est, necesse esse, ut in utrorumque definitionibus explicandis utrisque utamur.

Cum hæc uere, & sedulo Porphyrius dixisset, reciproca demonstratione se uti oportere existimauit, quæ a philosophis uel ex eo damnatur, quod eadem priora, & posteriora faciat, propositionumque, ac conclusionum ordinem ita in uertat, ut illud, quod primum est secundum, quodque secundum, primum efficiat, eademque sibi ipsis notiora, & obscuriora reddat. quemadmodum si quis a me quæreret, anime immortalis sit, dicerem, etiam, quid ita? quoniam, in qua, anima a se mouetur, quod sese mouet, nunquam ne moueri quidem definit: quod finem non habet motus, æternum est, anima igitur æterna est. Si rogauerit præterea quomodo pateat, animam a se moueri, demonstrarem hoc pacto, anima æterna est, quod æternum est, & a se moueri definit, quod finem non habet motus, sese mouet, anima igitur a se ipsa mouetur. Huiusmodi demonstratio reciproca dicitur, cum enim animam æternam esse uellem demonstrare, quod a seipso mouetur, primæ propositionis loco, æternum autem pro conclusione suscepi: cunquē mihi demonstrandum esset, animam a se moueri, æternum, quod primum conclusio fuerat, prius accepi, & a se moueri, cui superius princeps dabatur locus, conclusionem feci. atque ita id, quod prius erat, posterius efficiat. ita fit, ut demonstratio reciproca, quæ propositiones in conclusionem, & conclusionem in propositiones mutat, explodenda sit. siquidem omnis demonstratio propositiones apertas, & manifestas assumit, conclusionemque obscuram ex propositionibus claram, & perspicuam reddit. illa igitur criminanda est, quæ hunc ordinem peruertit, utpote quæ obscuram conclusionem in propositionis ordine accipiens claram faciat, propositionemque iam pro concessa acceptam, conclusionem faciens incognitam reddat. Mulierem præterea lac habere cum demonstrare uouerimus, dicemus, mulier hæc peperit, quæ peperit habet lac, mulier igitur hæc habet lac. Si præterea demonstrare uelimus illam peperisse, dicemus hoc modo. mulier habet lac, habens lac peperit, mulier igitur peperit. hic etiã eadem eisdem & priora, & posteriora, notioraque, & minus cognita præsumuntur. nã peperisse quod magis liquet, ac prius est, accipimus, obscurum autem, & posterius lac habere, deinde apertum, & prius, lac habere, de quo postea minus constat, posteriusque est, peperisse. in hac igitur mutua demonstratione eadem ipsæ priora, & posteriora, apertioraque, & inuoluta accipiuntur. Omnis enim demonstratio uel ex re cognita rem cognitam declarat, uel rem obscuram ex clara referat. at illa est una omnium optima demonstratio, quæ re aperta rem operatam aperit, reliquæ ue-

ro demonstrationes uel falsæ sunt, uel omnino demonstrationes dicendæ non sunt. quoniam nec rem cognitam ex inuoluta, nec abstrusam ex latente possunt ullo modo declarare: neque res notæ demonstrationis egent, ut uidelicet ab alijs cognitis explicentur. multo itaque absurdus esset confiteri manifesta explanari ab oculis posse. una igitur sola uera demonstratio est, quæ ex cognita re incognitam claram reddit, merito ergo demonstratio, qua de agimus, in qua uidelicet propositiones & conclusio uicissim retro commutantur, damnatur, cum efficiat, ut ea quæ clara, & priora sunt, obscura & posteriora sint, idque uicissitudine quadam. sed quoniam philosophus hac se usurum cognouit, in genere explicando speciem, & in specie declaranda genus accepit. quod cum quispiam ei uitio dare possit, ita se defendit. Genus inquit, speciei est genus, & species generis species est: is igitur, qui genus docet, speciei, & qui speciem, generis mentionem faciat est necesse. illa enim, quæ sub eandem cadunt rationem simul existunt, & una cognoscuntur: sed genus alicuius, speciei scilicet, genus est, & species alicuius, uidelicet generis est species: horum igitur alterum absque altero cognosci nequit. ergo qui unum docere uult, alterius quoque meminisse oportet. nam si quis alterum eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ignorarit, alterum quoque nunquam sciet.

HOC etiam modo speciem definiunt, Species est, quæ generi subiecta est, de qua cum quid ea sit, inuestigatur, dici genus potest.

Duplices speciei descriptiones subiectæ rei ratione eadem tradit. nam utraq; de multis dicuntur, sed relatione differunt, ut ascensus, & descensus, qui subiectæ rei, ratione sunt idem, & relatione differunt. a superioribus enim uenientes descensum, ab inferioribus ad superiora nominamus ascensum. sic hic duæ relationes sunt speciei ad genus, quatenus sub illo collocatur, & generis ad speciem, quantum ipsam comprehendit, generis autem ad speciem ratio descensui similis est, & speciei ad genus ascensui, & hæc quidem maxime opportuna descriptiones sunt, perfectam deinceps descriptionem ex uocæ diuisione acceptam ita tradit.

TVM ita species est, quæ de multis numero differentiis dicitur, cū rei uis, ac natura exquiratur.

Interpres hoc loco quæstionem attulerunt, quid nam causæ esset, cur Porphyrius speciem describeret, qua quidem in quæstione ratio, quæ de genere allata est, non habet locum, propterea quod species ipsa genus habet, exploratissimam igitur, & communem causam afferemus. Definitiones inquam rerum sunt, quarum naturam declarant genera, & reliqua neque res sunt, neque definitam naturam habent, ac propterea sub nullum genus summum reducuntur, sed in omnibus considerantur. nã in substantia, quali, & quanto ac reliquis genera, differentiæque, & species insunt. ob eam causam res non sunt, sed relationes, quibus res significatur. cum igitur, ut diximus, definitiones rerum sint, & uoces res non existant, iure definiri uoces nequeunt, alteram itaque speciei descriptionem in medium affert persimilem ei, quæ a genere tradebatur.

VERVM hæc est ultimæ speciei definitio, quæ tantummodo species est, non etiam genus. aliæ uero earum omnium, quæ ultimæ non sunt, sed quoplanius, atque expeditius accipias, distinctius, atque enodatus explicabo. In unoquoque ex summis generibus quiddam primum est ac quiddam ultimum, inter hæc quæ iacent, genera, & species sunt. Primum genus est, quo superius est nullum: ultima species, qua nulla inferior est, quæ inter hæc intercedunt, ear

dem et genera sunt, et species, si tamen cum alio, et alio sint collata.

Hæc, inquit, posterior descriptio non omni speciei, sed ultimæ tantum congruit, ut autem quasdam species ultimas esse cognosceremus, hac diuisione deinceps usus est. substantia partim corpus est partim corporis expers: corpus partim animatum, partim inanimatum: animatum partim animal, partim planta, partim & animalis & plantæ participes. planta tres vires habet, nutriendi, augendi, gignēdiq; animal præter has sensus capax est, atque se alio transferendi facultatem habet. illud uero quod planta est, & animal, inter hæc medium sortitur locum. nam præter tres illas vires tactu etiam præditum est: locum tamen non mutat, quod in ostreis, & spongijs in saxis nascentibus uideri potest. illa enim siquid contrarium aduenerit sese contrahunt, atque illud propulsant; si uero quid iucundum, se dilatant, illudque appetunt. præterea animal partim rationis compos est, partim expers rationis, compos partim homo, partim Deus: homo partim Socrates, partim Plato, & singuli, de quibus philosophi, ut sæpe dictum est, non loquuntur. in hac igitur diuisione substantia prior est, posterior homo, cætera horum intermedia dicuntur, quæ si cū alio collata sint, genera erunt, si cum alio, species. dicitur ergo substantia primum genus, homo uero species ultima. alias enim & genera sunt & species, prout cum alio conferuntur. corpus enim substantiæ species est, animati genus. animatum corporis species, genus animalis: animal animati species, hominum genus: homo animalis species, genus nequaquam est: quoniam non de specie, sed numero differentibus, ut de Socrate, Alcibiade, & Platone dicitur. genus igitur non est, neque indiuiduum, propterea quod singula indiuidua continet. erit itaque homo species ultima. At posteriorem speciei significationem omnibus non congruere, utpote quæ nec animali, nec animato, sed solum ultimæ speciei, ut homini, cani, boui, leoni, qui tantum species sunt, conueniat.

IDQVF in uno e decem summis generibus explicabitur. substantia genus est illa quidem, sub qua corpus, sub corpore corpus animatum, sub corpore animato, animal; sub animali, animal rationis participes; sub animali rationis participes, homo; sub homine, Socrates, Plato, et singuli homines constituuntur: ita tamen ut substantia eorum omnium primum genus sit, ac solum genus. homo uero, et species ultima, et tantummodo species: corpus uero et substantiæ species, et corporis animati genus sit, atque animatum corpus, species quidem corporis, et animati genus: animal rursus animati corporis species, et animalis ratione utentis genus: animal ratione utens, species animalis, et hominis genus existat, sed homo est animalis ratione utentis species, atque hominum singulorum itidem species, non est genus.

Genera, et species in omnibus summis generibus insunt. at substantia genus summum est, quæ corpus complectitur, & corpus, animatum: (hanc solum diuisionis partem accepit, & corporis expers silentio transiit, quoniam quæ sub sensum cadunt, nobis sunt notiora) animatum, animal: animal, animal rationis participes: animal rationis participes, homines: sed substantia summum genus est, & modum genus, nullum. n. genus anti quius substantia est. homo uero ultimæ tantum speciei nomen obtinet, nam in uniuersalibus nulla species est, quæ sit homine posterior. corpus genus est, & species, sed species

substantiæ, & animati genus. animatum corporis species, animalis genus. animal animatum dicitur, & sensus participes. animatum illud est, quod incrementum capit, ac nutrimentum, & sui simile gignit. plantæ igitur sunt harum uirium participes: anima enim præditæ sunt, animalia tamen non sunt, ostrea præterea, & spongiæ præterquam quod animam habent, sensus uim habent. nam siquid aduenerit nec cum, illud abijciunt. & contrahuntur: ubi uero illud abiit, gaudet, siquid frugiferum senserint, illud asciscunt: quæ tum plantis, quatenus radicibus continentur, tum animalibus, quia nutriuntur, & sentiunt. similia sunt. animal etiam animati species cum sit, ratione utentis genus est: ratione utens mortalis genus animalis species, mortale ratione utentis species genus hominis: homo ratione utentis species, non etiam Platonis, & Socratis genus.

ET omne, quodcunque ante indiuidua proxime dicitur, species erit, atque ita, ut genus esse nequaquam possit. quæ admodum igitur substantia, quæ supremo loco sita est, ob eam causam summum est genus, quod genus ea prius est nullum: sic homo, quia species est, qua nulla posterior sit, neque quicquam, quod in species diuidi possit, sed sola indiuidua, qualia sunt, Socrates, Plato, et hoc, quod album est, species tantum erit, eaque ultima, atque ut dictum est nobis, infima. quæ uero interiecta intermedia sunt, superiorum species, et posteriorum genera erunt. ita fit, ut duas habere comparationes dicantur, alteram, qua ad superiora affecta sunt, ex qua eorum species appellantur: alteram, qua ad inferiora, ex qua eorum genera dicuntur. extrema uero uno tantum modo comparantur. nam genus summum ad ea affectum est, quæ sub ipso sunt constituta: cum prioribus autem, quoniam summum est, primumque principium, atque id, prout diximus, cuius nullum esse genus potest, nullam habet rationem. ita quoque species infima unam comparationem habet, eam scilicet, qua affecta est ad priora se, quorum species est. neque enim aliam habet, qua cum inferioribus comparatur, sed eam ipsam, qua species indiuiduorum appellatur. ac propterea indiuiduorum species dicitur, quod ea complectatur, at superiorum species appellatur eo, quod ab illis contineatur.

Dixit, proxime, quod ita accipiendum est, quasi dicitur, nullo intermedio interiecto, propterea quod ante indiuidua animal est, non tamen medio uacans, interiacet enim homo. igitur homo, quia proxime de indiuiduis dicitur, species erit tantum. Ita fit, ut duas habere comparationes dicantur. substantia, quia nihil ea superius est, uno tantum modo comparatur. affecta enim ad ea solum est, quæ inferiora sunt, ac species itidem comparationem modo habet ad ea, se quæ sunt superiora, non etiam ad ea, quæ inferiora sunt, quoniam specie posterius est nihil. inter hæc quæ interiecta sunt, duas comparationes habent. unam ad ea, quæ antecedunt, ex qua illorum species sunt: alteram ad ea, quæ subsequuntur, quorum genera dicuntur esse. ex prima igitur comparatione species, ex secunda, genera nominantur. Extrema uero uno tantum modo comparantur. summum

num uidelicet genus, & infima species { ac propterea indiuiduorum species dicitur. } infima species relationem quandam habet ad indiuidua, nō tamen eandem, quam ad ea habet, quæ ante ipsam sunt. homo Socratis, & Platonis genus non dicitur, sed species, a qua indiuidua continentur.

DEFINIVNT uero primum genus sic, cuius eē genus non potest, speciem aut̄ ultimam hoc modo, quæ ita species est, ut non etiam genus sit. atque ita, quæ species est ita, ut in species diuidi nullo modo possit. et hoc præterea modo, quæ de multis, usque numero differentibus dicitur, cum rei notio indagatur. quæ uero inter extrema sunt collocata, genera, et species uocant. et unum eorum quodque esse genus, et speciem ponunt, si tamen cum alio, atque alio conferatur. Ea enim omnia, quæ superiora sunt ultima specie ascendendo usque ad summum genus, genera, et species altera sub altera constitutæ nominantur. ut Agamemnon Atrides, Pelopidesque, ac Tantalides, et extremum Iouis.

Verba fecit de summo genere, ultima specie, & ijs, quæ inter summum & ultimam interiecta sunt: nunc, quod reliquum erat, ad ea describenda aggreditur. Summum, inquit genus est, quod etiam species esse nullo modo potest, & quo nullum antiquius, infima species est, quæ nunquam est genus, & quæ non amplius in species distribuitur. Ea quæ inter extrema statuuntur, tum genera, tum species sunt. de quibus cum uellet differere, adiunxit exemplum a genealogia, quo res clarior fieret, atque apertior. quemadmodum, inquit, in ortu, & familiarum descriptione Iupiter quoddam principium esse, & quasi caput, & supremum omnium parens, filius esse non potest, ita Orestes solum filius erit: at Agamemnon Orestis pater, Atrei filius, Atreus Agamemnonis pater, Pelopis filius: Pelops Tantali filius erit, in generibus, & formis, de quibus philosophi loquuntur, uno & eodem modo res se habet. nonnulla enim sunt, quæ solum genera sunt, ut substantia: nonnulla, uelut homo, esse tantum species possunt.

VERVM in genealogijs cætera ad unum fere principium, uerbi causa, ad Iouem referuntur. in generibus uero, ac formis eadem ratio non est: quoniam id, quod est, non est commune genus omnium, neque omnia, quæ sunt, ut inquit Aristoteles, ad unum primum genus referuntur.

Huiusmodi exemplum in aliquam forte dubitationem nos uidetur adducere, quam Porphyrius suis uerbis ex animo nobis euellit. Suspicaretur enim quispiam, nunquid ut in profapsijs coniunctiones ad unum fere omnium initium, exempli gratia ad Iouem referuntur, nam Iupiter a poetis pater diuumque hominumque dicitur: hoc quoque loco ita se res habeat, ut uidelicet omnia genera summa ad unum aliquod principium, ad id scilicet, quod est, referantur. nam substantia est id, quod est, & quantum, & quale, ac reliqua genera. quod si ita est, decem summa genera non erunt, sed id quod est, erit commune genus omnium. id quod inueniens philosophus ait id, quod est, generum summorum genus non esse, nos rē ita habere demonstrabimus hoc modo. Quæ cunque diuiduntur, uel tanquam genera in species diuiduntur, ut cum animal in canem, equum, & bouem diducimus: uel totum in partes, idque dupliciter: uel in ea, quæ similibus partibus constant, uel in ea, quorum partes sunt dissi-

miles, quæ in similes partes secantur, sunt uenæ, arteriæ, caro, & ossa. hæc enim diuisa easdem habent partes, & inter se, atque uniuerso similes. in dissimiles uero, quando corpus in caput, manus, & pedes partitur. uel ut ambigua uox in diuersas significationes. ut canis partim terrestris est, partim marinus, partim cœlestis. Si igitur id, quod est, neque ut genus in species, neque ut totum in partes in summa genera pariri probabimus, oportebit, ut tanquam ambigua uox in uarias significationes distribuatur. non diuidi igitur tanquam genus in species, est ex hoc perspicuum. Genus cum in formas distribuitur, in omnibus formis æqualiter inest. neque in formis, quatenus generis participes sunt, prius, posteriusue cernitur. homo. n. nec magis, nec prius equo animal est. item una specie sublata, reliquas auferri necessum non est. quoniam etsi homo dimouetur, animal tamen, & reliquæ species, ut equus, leo, canis, & arbores non abijcientur. Si uero id, quod est, in decem summa genera, ut genus in species diuiditur, in ipsis nec prius esse, nec posterius, nec unum ipsorum magis, aut minus ex eo, quod est, assumat oportet. sed prius, & posterius in summis generibus omnino apparet: siquidem substantia prior est, ac reliqua posteriora. qua inquam substantia sublata accidentia quoque auferuntur, ex quo conficitur, ut eius, quod est, magis particeps uideatur esse. Ea enim substantiæ uis, ac facultas est, ut efficiat, quo accidentia sint, utpote quæ in ipsa annuntiantur: uerum ut substantia ipsa sit, accidentium non eget auxilio. accidentia sane non essent, nisi substantia foret, cui acciderent. cum enim aliquid alicui accidit, prius intelligendum illud est, cui accidat. id igitur, quod est, ut genus in species in summa genera non distribuitur: quoniam etsi ablata sit una species, non auferetur genus, ut dictum est: nunc uero substantia reliqua genera ad nihilum recidunt: illius enim beneficio sunt. id ergo, quod est, non ut genus diuidatur. fieri itaque nequit, ut id, quod est, in decem summa genera, ut genus in species, atque ut uniuersum in partes, hasque uel similes, uel dissimiles diuidatur. Similibus partibus constans est, cuius partes uniuerso similes sunt ita, ut partes a toto nominentur, nec quicquam inter se differant. ueluti lignum, & ligni partes, ligna dicuntur, nec inter se differunt. simili quoque modo nerui pars, carnisque, ac uenæ ex totius appellatione nominantur, & inter se nullum habent discrimen. id igitur, quod est ut similibus partibus constans in decem summa genera diuidi nullo modo potest: quia si diuideretur, partes, hoc est summa genera ex toto appellarentur, & ea, quæ sunt, dicerentur. sed magnum & in nominibus, & in rebus inter ea discrimen uersatur. aliud quippe substantia, aliud quale, aliud quantum significat. rursus id, quod est partium diuersarum cum diuiditur, partes ex toto non appellantur, differunt. n. inter se, ut in uultu facile uideri potest, cuius partes sunt nasus, oculi, quæ nec a toto appellantur, nec inter se similes sunt. nasum enim nec uultum, nec oculum dicemus. sequitur igitur, ut id, quod est, in decem summa genera non ut id quod est dissimilium partium diuidatur. etsi enim partes & nomine, & re differunt, non tamen id quod est, dissimilibus partibus constare dicitur, quoniam a totius nomine partes appellantur, id enim, quod est, substantia est, & quantum, & quale, & ea, quæ dissimilibus partibus e partibus sunt compacta, a totius nomine minime sunt appellata. Si itaque neque ut similibus neque ut diuersis partibus constans id, quod est, in decem summa genera diuiditur, nam tanquam genus in species diuidi non posse demonstrauimus, reliquum erit, ut tanquam ambigua uox in diuersas significationes diuidatur.

SED Ponenda sunt, ut in decem summis generibus decem prima genera, quasi decem capita rerum.

Nunc inquit, rerum primordia ueluti decem genera ponamus. decem principia tantum esse, quia subtiliori eget disputatione, nunc non demonstrabimus. in summis enim generibus decem esse probatur. in præsentia uero pro concessio ac cognito accipiat, ac statuatur.

QVAE si quis omnia esse dicat, ambigue inquit, non una ratione appellabit, nam si id, quod est, esset commune rerum omnium genus, una ratione dicerentur: at cum decem prima sint, est nominis tantum, et non definitionis, quæ nomini constituta est, communio. prima igitur decem sunt: infimæ uero species aliquo sane numero illæ quidem, sed non infinito continebuntur.

Ambigua sunt, quæ idem nomen habent cōmune, non tamen eiusdem nominis rei, quæ significatur, sunt consortia. ut canis terrestris, aquatilis, et celestis. omnibus enim canis nomen commune est, sed differunt, quantum ad res nomine significatas attinet. Res cognomines sunt, quæ & nomē, & definitionem habent cōmune. ut homo & equus, utriusque enim animalia sunt, & communiter animalis nomen possident, eandemque ex animali definitionem sumunt, ea hæc est, Natura animata sensus particeps. ait igitur si omnia appellauerimus ea, quæ sunt, ambigue, non una ratione dicemus. Ambigua sunt, ut paulo ante dicebam, quæ tantummodo nomen habent commune. συνώνυμα uero. i. uerbum e uerbo: res cognomines dicuntur, quarum & nomen commune est, & eadem nomini attributa naturæ definitio. illud igitur, quod est, solius nominis societatem eorum, quæ sub se sunt, continet, ea enim quæ sunt, prima genera dicuntur. definitio tamen naturæ nomini congruens, alia atque alia est. natura unumquodque summū genus est ab alio diuersum, quæ est, quæ noitur, quæque definitur. quibus quidē sit rebus, ut id, quod est, in decē prima genera, in Substantiā, Q. uantum, Quale, Quæ sub eandē rationē cadunt, Vbi, Quādo, Face re, Pati, Sitū esse, atque habere, tanquā uox ambigua diuidatur.

INDIVIDUORVM, quæ secundum formas infimas sunt, infinitus. quamobrem iubebat Plato eos, qui a summis generibus ad infimas species descendissent, insistere: eos uero, qui ijs differrentys, quæ speciem absoluunt, diuiderent, per media descendere, indiuiduaque omnino præmittere: propterea quod comprehendere scientia non possent.

Indiuidua non ideo infinita dicuntur, quod sint, sed quod iterum, atque iterum fiant. { Differentiis, quæ speciem absoluunt. } Id est, quæ substantiæ participes sunt: ut animal in rationis compos, & expers. sunt. n. quædam differentiæ, quæ substantiæ expertes sunt. { Indiuiduaque omnino præmittere } quia, s. sub scientiam nō cadunt. id Plato in libro, qui est de summo bono, scriptum reliquit. scientia. n. suis finibus continetur, quos egredi non licet. illud igitur, quod cōprehensibile non est, percipi scientia non potest. Ad summā in libro de demonstratione singularum rerū definitionē, & scientiam non esse, sed solū uniuersarū demonstratum est.

NECESSE igitur est, ut i qui ad infimas species descendunt, multitudinē diuidendo pcurrāt.

Dixit id, quod est, non esse genus primorum, quæ suapte natura definita sunt, & sub cognitionem nostram cadunt. nunc autem utrum infimæ species ita se habeant, ut prima genera, perscrutari uult. Nonnulla inquit, sunt, quæ summū, & definitum numerum habent, nobisque non ignotum, si quidem genera summa decem sunt. infimæ uero species, ut homo, bos, equus, canis, uitis, olea, post quas indiuiduorum diuisio statim collocatur, suapte natura terminatæ sunt illæ quidem, sed incognitæ nobis, cum aliæ alijs in locis fiant. multæ enim sunt animalium, arborum, metallorumque species, quæ nos latent, læas tamen, quæcumque sint, definitas es-

se, ac terminatas sumptione quadam efficaci, atque euidēti demonstrabimus. Eo, quod infinitum est, multitudo maior est nulla. hoc assumpto statuatur infimas species infinitas esse. cum itaque in unaquaque specie multa indiuidua sint, humana species una cum sit, in mille fortassis indiuidua, homines uidelicet singulos diuidetur: simili quoque modo equina species, quæ una est, multa indiuidua continebit. idque in reliquis omnibus eodem modo. multo maiorem esse indiuiduorum, quam formarum multitudinem omnibus cognitum est, ac perspectum. Si uero indiuidua multo plura sint formis, sub quibus locantur, formarumque infimarum sit numerus infinitus: indiuiduorum numerus maior erit, & latior, quam numerus formarum, quem infinitum posuimus. Sed si infinito infinitius est nihil, uel oīo maius, formarū numerus infinitus esse non potest. nam cum numerum numero maiorem dicimus, minorem terminis concludimus, ac definimus. quod enim aliquo maius est, exuperantia quadā maius sit necesse est. exuperantia amota, reliquum finibus concludetur, & determinabitur. hac itaque ratione ultimas species infinitas non esse fuit affirmatum. eodem modo indiuidua, quæ sub infimis sunt, etsi formis plura sint infinita non esse demonstrabimus. si quis enim indiuidua infinita dixerit, ea, quæ sub unaquaque specie sunt, infinita dicentur. uerbi gratia, quæ sub humana specie sunt, equinaque, & reliqua, quæ sub alijs omnibus formis sunt, per sese infinita esse dicet. uel indiuidua, quæ sub unaquaque specie sunt, natura definita esse, omniumque indiuiduorum, quæ sub formis sunt, congregatam multitudinem infinitam esse constabitur. quod si ea indiuidua, quæ sub unaquaque specie sunt, infinita dicentur: aliquid iterum infinito maius, & amplius esse sequetur. singuli enim homines, & singuli equi infiniti sunt. quod igitur ex utrisque componetur, erit duplum eius, quod infinitum est, quodque ex omnibus, multo magis, quo quid dici potest obtusus: nullo igitur pacto indiuidua sub qualibet specie constituta infinita esse poterunt. quæ si definita sunt, ipsæ quoque infimæ species, atque ex omnibus composita multitudo definita erit. quod enim ex definitis componitur, ipsum quoque definitum est. definitus igitur, & terminatus est numerus indiuiduorum. quod enim semper fit, si semper est æternum, infinitatione præditum est. quæ et ratione numerus infinitus dicitur, quoniam augeri semper potest, & non interit, re tamen ipsa acceptus, semper definitus est. Sic etiam arenam definitam esse probabimus. id quod Apollo Pythius oraculo edidit, Noui ego arenarum numerum, pelagique profundum, etenim si numerus arenæ infinitus esset, adiecto hominum numero ex utrisque maior redderetur, & sic aliquid infinito infinitius esset, quod fieri nequaquam potest. infimæ igitur natura determinatæ sunt, tamen nihilominus nobis incognitæ. indiuidua uero natura definita non sunt, propterea quod iterum, atque iterum generentur. nobis tamen dum species re ipsa effectæ sunt, si principio fuerit origo, cognoscuntur, & si quot sint ignoremus, ita tamen cognitæ erunt, ut illarum natura, prout infimæ species sunt, se nobis intelligendam præstabit. quandoquidem illarum numerum terminis præfiniri probauimus.

QVI uero ad summa genera contendunt, multitudinem in unum concludant necesse est. nam species multa in unam naturam colligit, ac multo est magis genus. singule uero res unum in multa diducunt. Siquidem speciei societate unus homo ex multis efficitur, et singulorum natura ex una, et cōmuni re multe fiunt. ea enim est singulorum uis, ut distrahant, ac dissipent, communium uero, ut cogant, unamque naturam constituent.

Hoc in loco dicere uult Porphyrius, quid eueniat his, qui ab infimis ad summa genera nituntur. & qui a summis ad infimas descendunt. { ac multo etiam magis genus } species singula tantum indiuidua, genus uero & ipsas species, & indiuidua comprehendit. inferius enim ab indiuiduis ad summa conscendendo res multitudine coangustantur, & potestate augentur. Species quantum ad multitudinem spectat, sunt indiuiduis pauciores, potestate tamen & accretione plures. eodem pacto species a generibus superantur, donec ad unum summum peruentum sit. id quod iure factum censetur: quoniam rerum omnium una sola causa est, & origo, & propterea, quæ ad eam propius accedunt, multitudine coarctantur, facultate uero augentur. at quæ longius absunt, numero augentur, potestate diminuuntur.

SED cum explicatū nobis sit, quid genus sit, quid species, cumq; genus unū sit, species multæ (genus enim semper in multas species diuiditur) restat, ut dicamus, genus semper de specie, & de inferioribus dici superiora omnia. Species uero neq; de genero ultimo, neq; de superioribus ullis dicitur, propter ea quod non recipitur. Oportet enim, ut vel paria de paribus dicantur, quemadmodum id quod ad binnitum natum est, de equo, vel de minoribus maiora, ut de homine animal. at minora de maioribus dici non par est. neq; enim ut hominem esse animal, ita animal esse hominem commode dices.

Porphyrius harū quinque uocum doctrinā probabiliter. i. quantum ad differēdi subtilitatē spectaret sese tractaturū pollicitus fuerat. explicata itaq; generis, spēsque natura, quō horū cognitio ad sermocinandū nobis afferat adiumentū, uult de monstrare. Quā omnis differēdi facultas in demonstratōne uersatur, & demonstratio quædā ratiocinatio est, in ratiocinationibus uero proponibus opus est, propositio duobus terminis constat, quorū alter subijciē, alter enunciat. Subiectus est, de quo loquimur, alter autē est, qui de eo, de quo sermo habetur, dicitur. ut Socrates ambulat, subijciunt. n. Socrates, de quo est oratio, enunciat ambulat, utpote quod de Socrate dicat. Si dicatur præterea, aīa a se mouetur, subijciē aīa, & a se mouet, enunciat. si item dixerō, homo aīal est, homo subiectus terminus erit, aīal uero de hoīe dicitur. & in quacunque propositione eodē modo. Vult simili ratione demonstrare de genere, aliqua. s. de aliquibus dici, & quædam subijci. atq; ut cognoscamus quō cōplicitas proponēs faciant, ex quibus sit ratiocinatio, in qua ratio differēdi uersat, ait, genus semper de specie dicit, ut aīal de hoīe, & de aīali substantia. uerū spēs nō etiā de genere dicit, quā minime uerū est, si quis substantiā esse animal, & aīal esse hoīem dixerit. hinc igitur genera semper de formis dici perspicuū est, at species de generibus nunq; & ut summam dicā, oportet terminos, & de alijs dicunt, latius patere subiectis, ut aīal homine, uel pares esse, ut ridēdi facultas homini. pares ij dicuntur, quod uicissim retro cōmeent. nā ut oēm hoīem ridere, ita & omne, quod ridet, esse hoīem dicemus { De inferioribus dici superiora oīa } substantia de corpore, corpus de corpore animato, corpus animatum de aīali, animal de hoīe dicitur.

DE quibus autem species dicitur, de his itidem speciei genus, & generis genus usque ad caput generis necessario dicitur. nam si uere dicitur, Socrates est homo, homo animal, & animal substantia: Socratem quoq; esse animal & substantiam uere dicimus. cum enim superiora de inferioribus dicantur, spe-

cies de indiuiduo, & genus de specie, de quo indiuiduo dicitur, primum uero genus & de genere, seu de generibus, si multa media interiecta sint, & de specie, & de indiuiduo dicitur.

Aliud præceptū utile ad differēdi facultatem tradit, si inquit, species de aliquo dicatur, de eodē speciei genus ad summum usq; dicit. uerbi causa de Socrate homo, de hoīe animal, igitur animal de Socrate. animatū quoq; de aīali, ergo de hoīe, deq; Socrate pari modo. præterea corpus de animato, igitur de hoīe, animaliq; ac Socrate. postremo substantia de corpore, & ob eam causam substantia de corpore, corpus de animato, animaliq; atq; homine, & Socrate dicitur.

ETENIM primum illud genus de omnibus generibus, formis, atque indiuiduis inferioribus dicitur: genus uero, quod infima specie prius est, de omnibus formis infimis, & indiuiduis. ea uero, quæ tantum species est, de omnibus indiuiduis, indiuiduum de uno singulorum tantum.

Nam si superiora semper de inferioribus dicunt, summū de oibus generibus, quæ ei subijciuntur, deq; formis, & indiuiduis, & speciem de ipsis solis indiuiduis dici constat.

INDIVIDVVM Socrates dicitur, & hoc, quod album est, & hic accedens Sophronisci filius, modo ei solus filius Socrates sit. hæcque uel ex eo indiuidua appellantur, quod unumquodque ex proprietatibus constet, quæ omnes in alio reperiri non possunt.

Addens, hoc, illi dictioni, albū, quod uere erat, singulare fecit. quod autē, quæ omnes, & non quarū unaquæq; dixerit, hoc fuit in causa. nā unaquæq; illarū proprietatū in alijs inesse potest, oēs uero eadem simul in nullo reperiuntur.

QVAE enim in Socrate sunt, in alio eadem esse nullo modo possunt. uerum proprietates hominis communis, ac uniuersi eadem in multis, atque adeo in omnibus singulis hominibus, quoniam homines sunt, esse possunt.

Hominis proprietates in singulis quoq; hoībus esse poterūt. Genera, spēs, atq; indiuidua quædā proprietates habere sciendū est. generis tamē, & speciei proprietates in multis in sunt: at indiuidui, si collectæ sint, illi soli indiuiduo sunt accommodatæ. generis proprietates, aīalibus in quā, erunt substantia, aīans, sensus particeps: & hæc multis, homini uidelicet, equo, cani, & reliquis sigillatim aīalibus sunt attributæ. homo cū spēs sit, has proprietates habet, aīal, rationis particeps, mortale, ad sciētiam & cognitionē natū esse, quæ multis hoībus in sunt. sed ad indiuiduū, uerbi gratia, ad Socratē accedendū est, cuius proprietates sunt, p̄his, caluus, simus, obesus, Sophronisci filius, Atheniēsis, et eiusmodi, quarū unaquæq; per sese inesse alijs poterit, p̄p̄ea quæ alij sunt & calui, & simi, & præplungues, philosophiq; ac Athenienses, & forte Sophronisci filij: sed oīum collectio, philosophū dico esse, caluū, simū, adipatū, et in eodē tēpore fieri, soli Socrati, neq; alijs cuiq; inerit.

ITA fit, ut indiuiduum a specie, & species a genere contineatur. siquidem genus quoddam totum est, pars indiuiduum. species uero, & totum, & pars: ita, ut alterius pars sit, totum nō alterius, sed in alijs existat, quod totum ex partibus constet.

Ammon. in Porphy.

D

Species, si ad individua referat, totū est, si ad genus, pars: sed quoniam totū, & pars sub eandem cadunt rationem, ex ijs, quæ sub eandem rationē cadunt, nōnulla in recto casu, & nōnulla in obliquo efferuntur, ut pater filij pater, id in secundo casu dicitur. in tertio uero sic, amicus amico amicus, in quarto hoc modo, uerberās uerberatū uerberat. quod cū ita sit, partem alterius, & totū in alijs dixit, dicimus enim recte partem totius, & relatio in secundo casu sit, sed totū partem totū dicimus nequaquā, quoniam totū ex una parte constat, non est, sed multis, dicimus tamen totū partibus totum, ac relatio per tertium casum efficitur. totum enim in partibus est, recte igitur totū non alterius, sed in alijs a Porphyrio dictum est. Scire quoque debemus in secundo casu numeri multitudinis dici posse totū partium totū, sed Porphyrius cōmunem loquendi morem secutus, in alijs, dicere maluit.

AC Genus quidem, et speciem, quidque summum genus, quid infima species sit, quæ eadem generata, et species sint, quæ individua, ac quot modis genus, et species dicantur, aperuimus.

Cum ait, quæ eadem genera, & species sint, intermedia intelligit, quæ generis pariter, ac speciei subeunt rationem, & ac quot modis genus, & species dicantur, & genus tribus modis, & speciem duobus dici nobis indicauit.

DE DIFFERENTIA.



DIFFERENTIA autem communiter, proprieque ac maxime proprie dicitur. aliud enim ab alio differente communiter dicitur, quoniam vel a se, vel ab alio uarietate quadam differt. Etenim Socrates a Platone differerebat distinctione, et a se ipse cum esset puer, et in media ætate: cum quid ageret, et cum ociosus esset. ac semper in ijs commutationibus spectatur, in quibus rei modus consistit. Proprie inter aliqua interesse dicitur, quando accidens, quod separari non potest, uarietatem facit: accidens fixum, et immotum est, ueluti cæsus oculorum color, nasi aduncitas, et cicatrix ex uulnere obducta. Maxime proprie differre dicuntur ea, quæ differentia speciei procreatrice differunt, ut homo quia rationis particeps est, ab equo distat.

QUID causæ fuerit, cur cū differentia specie prior sit, de specie prius fuerit disputatū, iam reddita est ratio. nūc de differentia uerba facturus, utitur Aristotelis regula, de qua feci supra mentionē, differentiaque significationes enumerat, sed quo facilius intelligamus ea, quæ sunt nobis dicenda, ita sermonē ordiar. Differentia est aliquarū rerum inter se uarietas, ac cōmutatio, quæ uel separari potest, & ex aliquo accidenti est, atque ei natura est cōparatum, ut ab illis, in quibus inest, auelli possit, uel nō possit, uerbi gratia, differunt aliqui inter se, si unū sedere, stare alterū contingat, potest enim qui sedet, stare, quiq; stat, sedere, atque ita differunt inter se. eaque differentia separabilis esse dicitur, quam Porphyrius cōmunem uocat, id quod sit, quā nō alicui præcipue, sed omnibus cōmuniter inest, separabilisque, ac fortuita differentia est. Verum si differentia separari nō poterit, uel per se inerit, hoc est, rei naturā absoluet, uel fortuito, id est, nihil quicquid ad rei naturam cōferet. Differentia, quæ auelli a re, in qua sita est, nō potest, est ueluti aduncas, uel pressas nares, uel oculos caru-

leos habere. interest enim inter aliquos eo, quod alter simus, alter repandus sit. Fortuitæ differentia sunt, quæ rerū subiecta non cōplent. potest quidē Socrates simus non esse, & tamen esse Socrates. quæ separari a subiecta re non queunt, a Porphyrio propria appellatur. nam alicui determinatū est, ut simus sit. Differentia autē, quæ nec separari potest, nec fortuita est, substantiam cōplet. eiusmodi est rationis particeps, & mortale. ratio. n. nos a belluis distinguit, quia illæ rationis sunt expertes: quā differentia maxime propria uocauit. Differentiarū igitur alia cōmuniter, alia proprie, alia maxime proprie dicitur. quæ cōmuniter dicitur, fortuita est, ac separari ab re, in qua sita est, potest: quæ proprie, fortuita est, nec abstrahitur a re, cui inhæret: quæ maxime proprie, nō se iungitur, & rei subiectæ naturam complet, ac per se inhæret. Quā omnis philosophus in ijs uersatur, quæ ad perdiscendā philosophiæ uiam, & rationē spectant, quæ et diuidendi, & definiendi ars est, cumque diuisio, ac definitio nunquā foris, sed ex ijs, quæ ex ui, & natura sunt, assumatur, merito de differentia maxime propria, cū illa substantiæ particeps sit, uerba facit, pro ma itaque differentiarū diuisio hæc est. easdē rursus diuidit hoc modo. Ex differentijs alia diuersum subiectū faciunt, alia uero aliud. cōmunis. n. propriaque differentia diuersam rem facit, atque tantūmodo immutat. Sedere. n. stare, simum esse, & aduncum, immutant, ac maxime propria aliud efficit. aliud sane est rationis particeps, & aliud rōnis expertis. porro diuersum in eorū, quæ ex re sunt, immutatione uersatur. aliud uero rem oīno alteram facit. rationis. n. cōpos, animal aliud facit ab eo, quod ratione careat: sedens autē a stante, nō aliud, sed diuersum. simili quoque modo repādus, atque aduncus. cū igitur differentia tribus modis dicantur, cōmuniter, proprie, & maxime proprie, de ijs, quæ maxime proprie sunt, philosophi loquuntur. cōmunes autē, & proprie ad generū diuisionem nihil faciunt, quis. n. ita abhorrebit, & erit absurdus, ut aiat, aīal aliud sedet, aliud stat? neque. n. oīa assumimus, neque alia sima, alia adūca esse ob ipsamet causam affirmamus. Sed si ad genera diuidenda nullū afferunt adiuuentū, multo minus ad definiendū afferent. illæ igitur solæ, quæ maxime proprie dicuntur, nobis sunt adiuuētō. Maxime proprie dicitur, addens, dicitur, significauit se id nomē postuisset. antiqui. n. cū aliquo trito uocabulo uerterent, dicere cōsueuerant, dicitur, cū uero ipsi imposuissent, dicitur, uel uocetur, addebant. Socrates a Platone quantū homines non differt, sed quatenus ille ambulat, hic sedet, & ac semper in ijs cōmutationibus spectatur, hoc loco differentia fortuitæ intelligentia sunt, & in quibus rei modus consistit, .i. quæ ex accidenti sunt, siquidē accidens in quæstione dicitur, qua rei modus, & qualitas indagat, & speciei procreatrice, .i. qualitate quæ speciem perficit. animal enim si rationis cōpos, & mortale suscipiat, hominem: si mortale, & rationis expertis, equum, & reliqua animalia ratione carētia efficiet. ipse igitur differentia si ad genera addantur, species efficiet, id quod in causa est, ut differentia formarum efficientes appellentur.

OMNINO igitur omnis differentia alicui adiuncta dissimilem alij facit: sed cōmunes, et proprie diuersum faciunt: maxime uero propria eum, in quo sit, aliū efficit, quæ igitur alium efficiunt eum, in quo insint, efficientes formarum appellantur. quæ uero diuersum, absolute differentia. Si rationis particeps ad animal adiungatur, aliud efficiet: at mortuus id solum diuersum ab eo facit, qui non mouetur. quare hæc aliud, illa diuersum solum animal facit. ijs itaque differentijs, quæ aliud genus faciunt, et genera in partes diuiduntur, et definitiones ex genere, et huiusmodi differentijs traduntur. ex illis autem

*autem, quæ diuersum tantummodo faciunt, uarieta-
tes solum, et commutationes eius, quod aliquo modo
se habeat, ortum trahunt.*

Alteram differentiarum diuisionem tradit. Ex differentijs, inquit aliarum eum, in quo sint, dissimilem alij faciunt, aliarum omnino alium efficiunt. quæ alium efficiunt, per se: quæ cõmunitur, fortuitæ, & separabiles dicuntur. Separari posse dico propriam, & cõmunem. siquidem propria cogitatione separari potest ab eo, in quo sita sit. nam Socratem absque aduncitate, comatum, gracilem, Socratem tamen intelligere possumus. illa uero, quæ maxime propria est, ab eo, in quo inhaeret, ne cogitatione quidem auellitur. nunquam enim hominem, si rationis particeps ab eo auferemus, intelligere poterimus, quod non esset homo. omnes enim homines & rationis particeps, & mortales sunt. quare simum hominem possumus cogitare aduncum esse ipso etiam homine remanente, at homo, si rationem, & mortalitatem amiserit, non cognoscetur. differentiarum igitur propriarum, cõmunemque separabiles sunt. cum enim aliquis stans sederit, non factus est alius, sed diuersus. id quod poeta de Vlysse a Pallade ex euentis commutato significauit, apud quem ita dicitur,

Hospes diuersus mihi nunc, atque ante, uideris.

non enim alium poeta dixit, sed diuersum. attamen si quispiam simus, aduncus esse intelligatur, non alius, sed dissimilis, ac diuersus fiet. poterit namque ille idem, & non aduncus esse. Quæ igitur alium efficiunt eum, in quo insunt, efficientes formarum appellantur. rationis particeps non diuersum hominem ab equo, sed alium facit. illa enim alia dicuntur, quæ propter uim, & naturam differunt, ut homo, & equus, de quibus ante dixi. ratio enim est qua una præstamus beluis. Ijs itaque differentijs, quæ aliud genus faciunt, & genera in parte diuidunt. animal enim tum rationis compositum, tum rationis expertum esse dicimus, ac præterea mortale, uel immortale. atque ita postea hominem definimus. homo animal est rationis particeps, mortale, animum aptum habens ad scientiam percipiendam.

U T igitur rem a capite arcessam, perspicuum esse uelim, differentias alias separari posse, alias non posse. nam moueri, stare, ægrotare, ualere, et cetera generis eiusdem, separantur: nasum uero aduncum, uel simum habere, et particeps, atque expertus rationis reuelli a subiectis non possunt. earum uero, quæ distrahi non queunt, aliarum rebus per se insunt, aliarum fortuito. particeps enim rationis, mortalisque, et quod ad scientiam, et cognitionem natum est, homini ex se conuenit: aduncæ autem, et simæ nares non vi sua, sed casu.

Perfectionem diuisionem exorditur, & aliud quoddam initium sumit, ut omnes differentiarum distinctæ inter se sint. Differentiarum igitur aliarum separantur a rebus in quibus insunt, aliarum non separantur. hac diuisione differentiarum communes a proprijs, & maxime proprijs distinguunt. aliarum rursus aliud, aliarum uero diuersum faciunt: atque ex hac diuisione maxime propria a cõmunibus, & proprijs discernuntur. Ex ijs itaque repugnantibus, quibus differentiarum uicissim se iugantur, coniugationes sunt, quarum duarum sine dubio non cohærent. non enim esse simul queunt, quod separari potest, & quod non potest. uel diuersum esse, & aliud. ex reliquis quatuor, hæc separabilis & aliud faciens non constat, cæteræ tres apte cohærent, quandoquidem separabiles, & diuersam rem efficientes cõmunes sunt. quæ autem non separantur, & aliud faciunt, sunt maxime propria. quæ uero non separantur, ac diuersum faciunt, fortuitæ sunt. ac communes quidem, ut sedere, propria, ut aduncitas, maxime propria, ut rationis par-

ticeps. Videbitur etiam quædam esse distincta coniugatio earum, quæ separari possunt, quæque aliud efficiunt, re tamen uera ipsa quoque coniugatio ratiocinatio non est. rationis enim particeps per se homini attributum est, & quatenus homo est, rationis particeps est, ob eamque causam omnes homines rationis particeps sunt: sed aduncum, nigrumque esse, sedere, & stare, non per se, quoniam homo, quia homo, aduncus nequaquam est, uel omnes homines aduncos, uel nigros esse oporteret. etsi enim aliquis nec aduncus, nec niger est, homo tamen est. nulla igitur harum differentiarum aliam rem facit, sed diuersam. at rationis cõpos cum per se aderit homini, aliud facit. hac igitur causa cum ea differentia, quæ diuersam rem facit, constare non potest.

I T A fit, ut ea, quæ per se adsunt, ad rerum naturas definitione explicandas assumantur, resque alia efficiatur. quæ autem fortuito, neque ad rei definitionem adhibeantur, neque aliam rem faciant, sed immutent. quæ item per se adsunt, nec contentionem, nec remissionem capiunt.

Differentiarum, quæ per se insunt, ad rei uim explicandam, ac definiendam adhibentur. siquidem definitiones ex generibus, & differentijs formarum efficientibus assumuntur. nec contentionem, nec remissionem capiunt. neque enim quicquam magis, aut minus mortalis, magisue, aut minus rationis particeps dicitur. Pueruli enim etsi propter ætatem ad eas actiones, quæ in ratione uersantur, apti non sint, nihilo tamen minus sunt rationis particeps. illa præterea magis, & minus suscipere dicuntur, quæcumque aduersa sunt, & in eodem subiecto consistunt, quæque inter se commiscuntur, ut album albo magis, minusue album dicitur. & nigrum magis, uel minus nigro: quippe cum eadem res subiecta tum alba, tum nigra fiat, & alba cum nigris commiscetur: atque aliquando puriora, nonnunquam magis mista & confusa euadant. in substantijs autem nec intentio est, nec remissio. quoniam substantiæ nihil aduersatur. nec rationis particeps, & rationis expertus consistere in eodem subiecto possunt. at si quis diceret, cur Aristoteles in summis generibus ait, Substantia, quæ proprie, & primæ, & maxime appellatur, cum illud maxime, uideatur significare substantiam amplificari & imminui. ei nos responderemus, hoc ab Aristotele dictum fuisse, utpote quod magis esset ad cognitionem nostram accommodatum. primam enim, & maxime dixit indiuiduam, quæ & magis a nobis cognoscitur, & prior cõprehenditur, ab illa enim tempore, & scienciaeducti ad secundam, quæ ex generibus, & differentijs est, deuenimus. uerum si aliquis cõcederet magis, & minus in substantijs esse, non in latitudine, sed altitudine pcederet. homo. n. non magis homo, ac rationis particeps hominis est. nec equus magis animal boue, nec homo magis boue, atque equo. sed in altitudine, ut dixi, potest hoc sic cognosci. Superiora inferioribus perfectiora sunt, idque quatenus a melioribus longius absunt. uerbi gratia, rationis particeps magis in mente est, quàm in anima. & magis in angelis, minus autem in cœlestibus corporibus. siquidem ipsa quoque animata sunt, habentque rationem: atque id magis in ijs, quam in nobis situm est. Alio quoque modo probatur. Substantia magis in animali est, quam in homine, ac magis in utrisque. Simili etiam ratione animal magis in homine, quam in Socrate est, quoniam substantia non inest Socrati sine ullo interiecto medio, animal enim intercedit. ea postea per hominem ad plantas progreditur. Perspicuum igitur est, id quod primū, proximèque alicuius rei particeps est, maiorem eius rei partem habere, quàm quod secundo, & aliquo interiecto medio est. recte igitur substantias non in latitudine, sed altitudine magis, minusque suscipere dictum nobis est. nam si in latitudine amplificarentur, aut minuerentur, eadem distantia eorum, quæ sub genere sunt, rationis inquam participis, ratione carentis, mortalisque, & immortalis non esset.

Ammon. in Porphy.

D ij

AT QVAE Casu, et si seiungi non possunt, contentionem tamen, et remissionem capiunt. neque enim genus magis, minusue de eo, cuius genus sit, dicitur, neque differentiae generis, quibus genus ipsum in parteis distribuitur.

Contentio, & remissio magis, & minus significant. haec enim nomina a chordis per translationem sumuntur. ille, n. admodum intentae uehementiore sonu, remissa uero minore reddunt. philosophi igitur uehementem rei impressionem, contentionem: leuiorem uero, remissionem uocauerunt.

QUANDO QUIDEM haec sunt, quae cuiusque rationem absoluunt. et nullius rei vis, quae una eademque est, nec amplificari, nec minui potest. at aduncis et simis naribus esse, colorarique, magis, et minus dicitur. Cum igitur tria differentiarum genera habeamus, aliae quae separari a rebus possunt, aliae quae non possunt: atque ex iis, quae separari non possunt, quaedam, quae per se insunt, quaedam quae fortuito: rursusque earum differentiarum, quae vi sua adsunt, aliae sunt, quibus genera in formas diducimus, aliae quae speciem efficiunt, cuiuscemodi sunt animatum, sensus, rationisque, particeps, et rationis expers, mortale, et immortale: ex quibus cum omnes per se animali inhereant, haec duae animatum, et sensus particeps animalis naturam absoluunt. animal enim est natura animata. sensus particeps, haec uero mortale, et immortale, rationis copos, et expers, genus in species partiuntur. iis enim genera in species diuidimus. sed quae genus in partes distrahunt, eae species perficiunt, vel ex eo, quod his differentiis particeps, et expers rationis, mortale, et immortale, animal in species diducatur. id quod fit, ut particeps rationis, et mortale, hominis: rationis copos et immortale, Deixpers rationis, et mortale bestiarum genus constituant. Simili quoque modo cum haec differentiae animatum, et inanimatum, sensus particeps, sensus expers summae substantiae sint, duae ex iis animatum, et sensus particeps ad substantiam adiunctae, animal: inanimatum uero et sensus expers, plantam complent. cum igitur eadem differentiae alio, atque alio modo sumptae et efficientes formarum, et diuidentes sint, omnes formarum effectrices appellantur.

Quae rei naturam complent, eadem definitiones perficiunt, definitiones uero eiusdem semper eadem sunt. homo non est aliquando animal rationis particeps, mortale, & quandoque non est, sed semper eodem modo se habet, nec amplificatur, nec minuitur, neque enim tum magis particeps rationis, tum minus est: colorarique magis, & minus dicitur: hoc est album, uel nigrum esse. intenditur enim, & remittitur. quippe cum aliquid magis album alio sit, magisque nigrum, aut limum, atque repandum. Cum igitur tria differentiarum genera nobis cognita sint, ex quibus aliae separari ab eo, in quo insunt, possint,

aliae autem non possint, atque ex iis, quae non separantur, aliae ut sua adsint, & aliae casu ac temere: Porphyrius magna ratione adductus uoluit de eis differere, cum praesertim ea, quae ad definitionem, & diuisionem pertineant, in medium proferre uelit. ait igitur ad hunc modum, Ex differentiis formarum efficientibus aliae constituunt, aliae diuidunt. eaeque non aliae, atque aliae, sed eadem sunt, partim enim diuidetes, & partim constituentes fiunt, si tamen alio, atque alio modo sumantur. rationis namque particeps, & expers, mortale, & immortale animalis differentiae sunt: eademque ipsae sunt, quae diuidunt, & in quas animal diuiditur. Si uero illae, quae coniugari simul possunt, accipiantur, ueluti mortale, & rationis particeps, differentiae fiunt, quae hominis naturam absoluent, quod ex iis humana natura sit constituta. Est igitur ex hoc perspicuum diuidentes differentias ad diuidendum magno nobis esse adiumento: quoniam hac ratione generum in partes diuisiones fiunt, illae uero, quae constituunt, ad definitiones utiles sunt. siquidem ex genere, & huiusmodi differentiis definitiones traduntur. scire autem debemus, ex iis simul coniunctis quatuor fieri coniugationes, quarum tres ratiocinatio sunt, una uero nequaquam constat. ut exemplo ponatur, rationis copos, & rationis expers, mortale, et immortale, ecce rationis copos, et mortale simul stant, est enim homo, rationis uero particeps, & immortale, Deus. rationis expers, & mortale, equus. fieri, n. non potest, ut quid ratione careat, ac immortale sit. qua de coniugatione, rationis expers dico, & immortale, disputatur, constat nec ne. & num aliquid rationis expers immortale sit, quod fieri posse Poeta de Scylla dicere uidetur, cum ait,

- Monstrum immortale, malumque.

Nonnulli esse genus quoddam daemonum immortalium, ac ratione carentium sunt opinati, quod inferiorem ordinem sortitum est: quos inquam daemones deuitamus, & auerfamur. alij hoc genus esse mortale dixerunt, quoniam id, quod aeternum sit, idem rationis esse particeps contendunt, sed ut eo, unde egressa est, referat se oratio, ad substantiam reuertamur, & eadem inuenimus. atqui cum illae duae repugnantes sint, animati in qua, & inanimati, sensum habent, & non habent, tres tantum coniugationes quae cohaerent, oriuntur: reliquae tres non constant, animatum, & sensu praeditum animal est: animatum, et sensus expers, planta: inanimatum, & sensu uacans, lapis: inanimatum uero, & sensus particeps, nihil: quod, n. sensum habet, multo etiam magis naturale animam habet. id tamen non recipitur, quoniam ubi naturalis anima est, illic non erit omnino sensus: at ubi sensus erit, illic naturalem esse animam necessitas omnino cogit. Iis enim genera in species diuidimus: nam quemadmodum quaedam solae species sunt, quaedam & generis, & speciei subeunt rationem, ita etiam in differentiis euenit. ex differentiis formarum procreatricibus aliae tantummodo diuidetes sunt, haecque summorum generum sunt: aliae solae constituentes, haecque infimis sunt attributae. quae uero utrunque faciunt, ad intermedia, quae genera, & spes sunt, illae pertinent. Etenim substantiae differentiae corpus, & corporis expers substantiam solae diuidunt, nunquam, n. efficiunt. Huius uero differentiae rationis particeps, & mortale, sunt hominis tantum effectrices: at medio uelut animalis mortale, & immortale, rationis copos, & expers diuidunt, & efficiunt, quoniam aliquid ipsis superius habent. Differentiae uero aduersae animal partiuntur, quod ipse quoque in alias partes diuidatur, ueluti sunt mortale, & immortale, in quae animal diuiditur. ac rationis particeps, et expers eodem modo. quae uero sunt alia sub alia constituta, species constituunt: nam rationis particeps, & mortale hominem faciunt: ratione utens, & immortale, angelum. ratione uacans, & mortale bouem, ac differentiae rationis expers dico, & mortale sunt omnium reliquorum brutorum: rationis expers, & immortale tanquam dubia substantiae sint nec ne, Porphyrius omisit. Sunt enim quidam demones, de quibus ante dixi, qui cum rationis expertes sint, inferiores orbis terrae partes incolunt, meritaque illic animarum poenas sumunt, hic a quibusdam immortales, & a quibusdam mortales esse existimant.

QUARVM maximus usus est in genere diuidendo, et rebus definiendis. earum autem, quae fortuito

fortuito separari nequeunt, non ita: ac multo etiam minor earum, quæ auelli possunt.

Hoc loco cum dicat, in rebus definiendis, quoniam pacto illæ differentiæ sumantur, considerat, ac significat uoces in accidentium definitionibus substantiæ participes esse debere. siquidem definitiones ex uocibus, quæ substantiæ participes sint, componuntur, ut candor color est, quo uisus noster dissipatur, ac dispergitur. præterea addidit, maximus, quoniam sæpenumero propter humanam imbecillitatem huiusmodi differentiis caremus, & definitiones ex accidentibus assumimus: ut in coruo manifesto apparet, in quo explicando nigrorem pro differentiis accipimus, & in odore candorem. ac cum equum definimus, animal esse dicimus rationis expertis ad hinniendū natum, proprium, quod substantiæ aduentitium est, differentiæ loco, quæ substantiæ est participes, suscipimus. id quod sit, quoniā differentiā substantiæ participem equi, & asini reperire nullo mō possumus.

EAS autem definiunt hoc modo, Differentia est, qua genus a specie superatur. nam animal ratione, et mortalitate ab homine superatur, quoniam animal nihil horum est. unde enim formæ differentias habeant: nec uero omnes contrarias habent, propterea quod in eadem re formæ concurrerent contrariæ: sed ut arbitrantur, omnes differentias, quæ in eis subiectæ sunt, facultate complectuntur, re uera nullam. quo circa neque de nihilo quippiam fit, neque formæ contrariæ in eadem re simul insunt. Eam hoc quoque modo definiunt, Differentia est, quæ de multis, usque specie differentibus dicitur, cum qualia sint, quæritur. nam rationis particeps, et mortale de homine dicuntur. et qualis homo sit, non autem quid sit, explicant. cum enim rogamur, quid sit homo, recte animal respondemus: cum uero quale animal sit, interrogamur, rationis particeps, et mortale congruenter respondemus.

Cum differentiæ significationes numerauerit, & de qua philosophi loquantur, dixerit: hanc præcipuā descriptionem tradit. Differentia inquit, est qua genus a specie superatur. Ex hac definitione Porphyrius dubitationē mouet, & eam postea dissoluit, duo quædam perspicua dubitationis effata suscipit, quæ sic a Peripateticis appellatur, quod per se credenda sint, ex quibus hoc primum est. Nihil ex nihilo oritur. ut abacus ex ligno confectus partim fuit, quia lignum erat, partim uero non, quia non erat abacus: nā si fuisset, artifice, ut fieret, non indignisset. lapides præterea sunt, tū uero nō sunt, quia nondū domus est. quo nā igitur mō ex penitus nihilo quippiam fiet? Alterū effatum est, Aduersa in eadem subiecta re in eodē tempore simul esse non possunt. aduersa. n. si bi ipsa mutuū interitum asserūt. his præpositis ita oritur dubitatio. Differentiæ uel ex genere, in quo prius erant, formis insunt, uel ex nihilo fiant necesse est. horum utrunq; absurdum est. nā si in generibus tāquam in corporibus differentiæ sint, aduersa simul erunt in eadē subiecta re, mortale uidelicet, ac immortale, rationis cōpos, & expertis. quod ita abhorret, ut nihil supra. ac nisi in generibus sint differentiæ, quonā pacto in formis esset. n. aliqd, quod ex ijs, quæ nulla sunt, factū esset, quod itē a ratione alienū est. ex nullo. n. alio fieri poterunt, cū inter genera, & formas nihil mediū interiectum sit. patet igitur hunc sermonē esse maxima dubitatione inuolutū. Porphyrius itaq; dubitans peripatetico more

controversiā soluit. aduersa, inquit, in unamet re, & eodē tempore actu inesse non possunt, at potestate queunt. atq; ut ea quæ diximus, clara fiant, non est ignorandum aliud esse potestate quippiā existere, & aliud actione. id namq; potestate eē dicitur, quod imperfectum est, neq; deductū ad rē ipsam, cōmode tamen traducitur ad actum. ut puerulus facultate grāmaticus est, quandoquidē fieri grāmaticus pōt. & aqua gelida, potestate calida est, cū possit calida reddi. hoc igitur est, quod potestate esse dicimus. re ipsa grāmaticus dicitur, qui grāmaticam scientiā sit plane consecutus, ipsamq; reliquos doceat. & frigida aqua potestate calida dicitur, quæ cū calefacta sit, actu calida dicitur. ait igitur, aduersa, calidum inq; & frigidū actu simul alicui non adesse, potestate tamen posse. tepida quidem aqua, neq; actu calida est, neq; gelida, potestate tamen utrunq; atq; infans potestate uirtutē habet, & uitiōsitatē. materia item potestate omnia aduersa possidet. Si igitur genus materiæ rationē habet, ut post dicitur, clarum est ipsum potestate omnes differentias aduersas habiturum. id quod aliter etiā probatur hoc mō. Aduersa in uno esse possunt: si uero alterū aduersorum actu habeat, alterū potestate habebit. quod re ipsa frigidū est, facultate calidum est, quoniā suapte natura ei est cōparatum, ut calidum fiat. hoc. n. dictum est, ppter ea quod quædā sunt, quæ alterū aduersorū tantū suscipiunt: ut crytallus, quæ frigida cum sit, calefiat nuncq;, atq; ignis nuncq; frigidus reddetur. aer, & aqua utrunq; admittunt. aduersa. n. facultate in eodē esse possunt. nā si duo aduersa potestate quippiam non habuerit, nuncq; actu in horū utrunq; cōmutabitur. sed quoniam duo aduersa potestate continet, propterea in utraq; transfertur. hoc itaq; mō genera aduersas differentias habere ait. non enim ex nihilo penitus sunt: neq; aduersa in eodē esse re ipsa possunt. Peripatetici hac solutione utuntur, qua Porphyrius, quoniā librū ad summa Aristotelis genera uilē se scripturū pmissit, usus est. Nec clam me est, Platonis studiosos huic solutioni repugnare. uolunt. n. differentias generibus actu inesse. nec dubitandū, quin rationis cōpos, & rationis expertis, mortale, et immortale generibus subijciantur. ad cuius rei demonstrationē hisce rationibus utuntur. aiunt enim mortale, & immortale, particeps, expertisq; rationis aduersa non esse. quod aduersa sese uicissim interimant, hæc autē tantū abest, ut sibi mutuū interitum præter, ut etiam sese conferuent. rationis. n. particeps & immortale seruant mortale, & rationis expertis. nam Deus cū rationem habeat, immortalisq; sit, mortalia omnia seruat, et custodit. præterea homo ratione carentium curator est, & conseruator. angeli uero immortales, homines mortales curant, et custodiunt. quare rationis particeps, & ratione carens aduersa non sunt, nec item mortale, & immortale. quod si aduersa non sunt, quid obstat, cur generibus non insint: quandoquidē uires, quæ rationis expertes sunt, irā dico, cupiditatēq;, & sensum, atq; animā, quæ rationis particeps est, simul in uno hominis corpore inesse conspiciantur. dicunt rursus. sint licet inter se cōtrariæ, nihil tamen absolum est, eadem in eodē genere actu inesse, quoniam non in corporeo subiecto, sed in eo, quod corporis expertis est, existunt. genus. n. corpore uacat. nā in subiecto corporis experte aduersa inesse possunt. quod uero duo aduersa in subiecto corporeo simul inesse non possint, causa est, quod utrunq; uult esse subiecti particeps. Singulare corpus per sese ea quæ se inuicem perimunt, nō admittit. at in ijs, quæ non corpora sunt, id nō ualet, ppter ea quod natura aduersorū omnium in ijs habeat rationē ita, ut oculus, qui candoris, & nigroris rationes admittit, anima quoq; simul, & eodē tempore aduersorum, boni. f. & mali, frigidi, ac calidi rationē habet. una igitur est aduersorū scientia. quare a rōne non alienū uidetur, si quis dicat aduersas differentias generibus inesse. Similiter est in abaco, atq; in eadē eius parte triangulū, quadratū, turbinem, & globosam figurā fingere simul non possumus, quoniam inter se confunderentur figuræ omnes, cū in re corporata essent collocatæ. at in anima hæc omnia habemus, & ea non

confusa, ex quo fit, ut ea et distincte proponamus. & primam secundamque, ac tertiam speculationem demonstramus. secus uero de turbine, triangulo, & quadrato, ut diximus, ita fit, ut in his, quae concreta, & corporata non sunt, aduersa re ipsa insint, alia praeterea ratione probatur. Si differentiae generibus potestate insunt, quid est, quod illas cum formis actu componit & inserit, omne, quod potestate est, a quodam quod tum actu est, ad actum traducitur, aqua frigida cum potestate calida fit, actu fit calida ab igne, qui tum calidus est. & puerulus potestate grammaticus, redditur grammaticus ab eo, qui tum est grammaticus peritus. si igitur potestate esse possunt in generibus differentiae, si ad actum traducantur, aliquo quodam, quod actu differentias habeat indigebunt: sed nihil aliud in his est, potestate igitur in generibus non erunt differentiae. rursus sic probant. Omne, quod esse potest, imperfectum est, quod uero actu est, perfectum est: si itaque species actu differentias habent, & genera potestate, ultimae species erunt omnibus perfectiores, & digniores, prima autem genera omnibus imperfectiora, atque indigniora, id quod a uero sensu maxime abhorret, sequetur. n. effectas res suis causis esse & perfectiores, & praestabiliiores. oportet igitur differentias in generibus actione inesse, est ne igitur ob eam causam Peripateticorum ratio, atque omnino exploranda sententia: id equidem ne unquam quidem censuerim: propterea quod cum triplex genus sit, de eo genere, quod ante multa esse diximus, Platonicus loquebantur, in quo differentiae actu sunt, omniumque rationes re ipsa inesse possunt: Peripatetici uero de eo, quod in multis est, uerba faciunt. Naturam ab uniuersis ad singulas res proficisci, singulasque in uniuersis potestate cohaerere sciendum est. Semen si in concipientem, comprehendentemque naturam inciderit, primum carunculam quandam in matrice fingit & efficit, ut medici inquirunt, quae sane caro corpus erit, ac corpus uniuerse sumptum, hoc tamen ut corpus, re ipsa est: ut animatum, potestate, quia necdum animatum actu est, ubi uero aletur, augeturque, animabitur, ac tunc animatum uere dicitur, & potestate animal. non enim adhuc sentit, & mouetur, quae cum nactum sit, actu animal erit, potestate particeps rationis. cum uero auditionis, ac rationis particeps fuerit, actione animal rationis particeps erit, potestate grammaticum, differentias igitur inesse potestate in generibus, quae in multis sunt, uideamus. simul et patet physicos hoc modo recte dicere, ex quo conficitur, ut cum Porphyrius librum hunc non ad Platonicam, sed Aristotelicam doctrinam utile scribere uellet, peripatetica solutione usus sit. Sed cum supra diceremus quinque uoces corpore uacare, neque id probatum adhuc sit, restat ut id rationibus affirmemus. Corpus, ut hinc initium sumamus, nunquam in maiori aequae, ac in minori consideratur, uelut in elephante, & formica: at quinque uoces pari ratione & in magnis, & in paruis considerantur. Deinde omne corpus corpori adiunctum accessionem affert ei, quod additamentum capit: sed genus & species, ac reliquae uoces ad Socratem additae nihil amplificant, nec ullae ei accessione faciunt. praeterea nunquam idem corpus in eodem tempore in multis uidebitur, licet simile uideatur, idem tamen non erit, ut in Platonis crure os elephantis esse uidebitur, non tamen idem erit cum illo, quod Orestes habebat: at genus, & species eodem tempore in multis considerantur. Tum corpora diuisa nunquam speciem, & eandem quantitatem seruant. stater. n. nummus in multas partes diuisus unam formam, unamque stateris quantitatem non seruabit: genera uero & formae eandem formam & quantitatem seruant si in Socratem, & caeteros distribuuntur. Aliter etiam demonstrari potest. Omne corpus ex materia, specieque componitur, genus & species eodem modo non sunt, nunquam. n. species ex specie componitur, igitur quinque uoces corporis expertes sunt. Omnia iam percepimus, id quod sequitur, per se apertum est, tamen nihilominus legendum esse existimamus, ut si in obscuri quippiam inciderimus, a nobis declaratum sit. { Animal nihil horum est } . i. expertes, quippiam. n. tale subaudiendum est. Si. n. animal particeps non esset eius, quod rationis particeps est, & mortale, unde has differentias species habeat: nec uero omnes con-

trarias habet, quoniam res concurrerent contrariis. { Ut arbitrantur } quoniam Porphyrius Platonicus, ea dicebat, quae sibi recta non uidebantur, sed, inquit, ut Peripatetici putarunt. illi. n. naturaliter loquuntur, atque ita recte sunt opinati, uniuersas. l. res singulis priores esse, & eo pacto ad actum traduci { eam hoc quoque modo definiunt } perfectam differentiae descriptionem ex earum uocum diuisione sumptam tradit. ita enim erat, uocum aliae significant, aliae non.

ET ENIM res omnes e materia, et forma, uel ex his, quae materiae, et formae proportionem dicuntur, sunt conflata. nam ut statua ex gris materia, et ex figura tanquam ex forma efficitur: sic homo communis, quique species est, ex genere, quod materiae rationem habet, et ex differentia, quae formae ratione quadam respondet, conficitur. ex quibus totum quiddam quod efficitur, animal rationis particeps, mortale, homo perinde est, atque illic statua.

Reddit nunc rationem, quam de causa genus in questione, qua quid res sit, indagatur, & differentia in ea, qua qualis sit, dicatur. Res omnes inquit uel proprie ex materia specieque constant, uel ex his, quae materiae, & speciei ratione dicuntur. Omnibus igitur naturalibus rebus res quaedam subiecta est, quam proprie materiam uocant turpem & informem: forma uero proprie est, quae suo ornata materiam, quodque ex ea fit, ornat. atque ita propria materia, & propria forma in rebus naturalibus spectatur, in artificiosis autem quaedam proportio est materiae, & formae: ut cum ex aere fiat statua, a materia dicatur non proprie illud quidem, sed promiscue, et proportione quadam. a. n. non est forma uacans: sed propterea quod artificii substratum est, statuaeque formam accepit, tanquam proprie materia, ea de causa materia dicitur. figura ite formae proportionem habet, quandoquidem a. n. imprimi. na cum naturalibus rebus una quaedam materia tributa sit, ob id omnes recipiuntur. neque. n. omnia uicissim retro commendant, si non una quaedam omnibusque communis materia subiecta esset. aenea quidem uasa mutari ita possunt, ut ex lebeate statua efficiatur at quibus eadem materia non est, inter se commutari non queunt. ex lebeate. n. nunquam abacus fiet. at qui ex terra aqua, ex aqua oritur aer, & ex aere aether: deinde retrorsum uicissim ex aethere aer, & ex aere aqua, ex aqua terra infima, id quod sit, quoniam materiam habent eandem, quod. n. frigus, humoremque suscipit, aqua fit, quod siccitate, & calorem, aether: ita quoque reliquae duae naturae, ex quibus omnia constant. omnes igitur naturales res, uelut homo, equus, & caetera generis eiusdem ex materia proprie, & forma constant. ea uero, quae arte constructa sunt ex his constantur, quae eandem habent cum materia proportionem. atque ex his, quae figuram habent formae respondent. genus igitur materiae, & differentia formae ratione quadam respondet. Na ut in substantia nihil inter se differt, uelut materia, sicut aenea uasa, differentia tamen in figura fit: sic quoque in genere, quia homo, equus, canis animates sunt, nihil differunt illi quidem, sed propter differentias magnopere distant. Si rationis particeps, mortaleque ad animal additum sit, fiet homo: si rationis expertes, & mortales, equus. quare genus materiae, & differentia formae comparatur. cum igitur materia unicuique naturam, forma uero qualitatem tribuat, merito summo genus in questione, qua quid quaeque sit exquiritur, ut materiae comparatum dicitur: dicitur autem, ut pote quae formae similis esse comperitur, in qua rei qualitas indagatur. { communis } id est uniuersi homines. { qui que species est } id est homines singuli.

EAM hoc quoque modo definiunt, Differentia est, quae suapte quadam natura separat ea, quae sunt sub eodem genere constituta. nam rationis particeps, & rationis

et rationis expertus hominē, et equum, qui sub idē genus subiecti sunt, inter se distinguit. Demum ita de scribunt. Differentia est, qua unumquodq; differt, ac discernitur. homo enim, et equus genere inter se nō differunt, quoniam et nos, et equi animalia sumus: sed cum rationis particeps adiunctum fuit, nos ab illis distinxit, sumus item nos, et angeli rationis particeps, sed mortale interiectum nos ab illis distinxit.

Rationis particeps, & mortale cum accedunt, hominem ab equo seiungunt.

QVI uero differentie rationes exquisitus colligunt, eamq; ad uiuum reserant, nō quoduis eorum, quæ separant ea, quæ eodem genere continentur, differentia esse dixerunt: sed quod ad rem, eiusq; notionē, quod sit, explicandā ualeat, quodq; rei pars existat.

Non, inquit, quoduis eorū, quæ separant omnia, quæ subiecta sunt sub idē genus, in differentiā numero habetur ab ijs, qui differentie rationē subtilius perspicunt, & accuratius perfequantur, quandoquidē nec cōmunis, nec propria: ut stare, sedere, ac repandum esse, sed maxime propria differentia separat, ut rationis, atq; intelligentie particeps, quæ hominem efficit. Soli, n. homini attributum est. in Deum autē, utpote qui omni intelligentia præstet, non cadit, multo etiam minus in bruta, quibus id naturā insitū non est. hō præterea non alicuius scientie, ueluti grāmaticæ tātum capax est, sed omnium. { quid sit. } hoc est, quod ad eius uim, & naturā definiendā pertineat. nā hæc definitio, Quid, apud Aristotelē definitionē significat, non secus, quā apud grammaticos iracundiā: propterea quod definitio, quid quæq; res sit, explicat. quod igitur definitionis pars est, illud est, quod rē distinguit, rationis, n. & intelligentie participē esse, definitionis pars est. quæ differentia hominē a cæteris animantibus disiungit.

NON enim aptum esse ad nauigandum, hominis differentia est, licet sit hominis proprium. nā si dixerimus animantium alios ad nauigandum aptos esse, alios non esse, hominem quidem ab alijs distinguemus, aptum tamen ad nauigandum esse, neq; hominis naturam absoluet, neq; eius pars erit, sed habilitas quædam, cum earum differentiarum numero non habeatur, quæ speciem procreant. Quapropter formarum effectrices differentie sunt, quæ aliam speciem efficiunt, quæque ad rei naturam aperiendam assumuntur, quare de his satis.

Ad nauigandū, inquit, non natandū, aut ut super aquis feratur, siquidē hac ratione bruta, inanimataq; ad nauigandū apta essent, sed nauigare intelligendū est hoc loco, nauē gubernare, quod est hominis propriū: homo tamen non efficitur, aut formatur ob nauis gubernandæ facultatē, quoniam eo pacto ij qui naues non gubernarent, homines nō essent.

DE PROPRIO.

Proprium diuidunt in partes quatuor. primum dicunt esse proprium, quod uni soli, neq; toti speciei cōuenit, ut homini meri, uel terram metiri: deinde quod toti, sed nō soli, ut homini bipedem esse: tum quod soli speciei, totiq;

et interdū inest, ut homini cuiusq; canescere in senectute: postremo in quod hæc concurrunt omnia, quod in sola, totaq; specie, et semper inest, ut in homine ridendi facultas, qui etsi non semper ridet, ad risum tamen aptus dicitur. idque non quod semper rideat, sed quod semper sit ad risum natus. id quod ei proinde innatum est, utiequo habilitas ad hinnitum. hæcque quoniam uicissim retro commeant, uere propria appellantur. si, n. equus sit, ad hinnitū quoq; aptus existet: et siq; ad hinnitū aptū sit, equus itidē erit.

Cum de differentia finē habuerit oratio mea, restat ut de proprio differat: atq; ita, nō modo ordinē nō inuertemus, sed et seruabimus diligenter: propterea quod cū de ijs, quæ substantiæ sunt, disputatū sit, sequitur necessario, ut de illis loquamur, quæ rerū naturæ adueniunt. atq; a proprio initium sumemus, quia intermedium quiddam sit. nam quia maxime propriū soli, totiq; ac semper speciei conuenit, substantiæ particeps est: siquidē ea, quæ substantiæ sunt consortia, in omnibus, quibus conueniunt, semper intelliguntur. accidētibus porro cōparatur, quod non secus, ac illa a subiecta recogitatione diuellitur. in eadē præterea docendi forma perseuerat, quam usq; ante hac seruauit. nā prius quam dicat de quo proprio philosophi loquantur, eius significationes enumerat. Proprium igitur diuidit quadripartitū, atq; ait, proprium uel uni soli speciei, uel non soli inest si soli, uel i tota, uel non tota intelligitur: si itē non soli, uel toti, uel non toti speciei, uel semper, uel non semper conuenit. hæc q; diuisio est. primo autem propriū est, quod in una sola specie, & non tota reperitur, ut in homine medicinam facere, uel philosophi, aut astronomi, geometræue, aut alterius cuiusq; fungi munere: deinde quod toti speciei, etsi non soli conuenit, ut homini bipedem esse: omni, n. homini conuenit, ut bipes sit, non tamen soli, quoniam id ē est uolucris attributum: tum quod toti, soli q;, ac non semper, sed al quando, ut homini in senectute canescere: soli, n. omniq; conuenit, sed hō canos in senectute tantum, nō semper emittit, postremo in quod hæc omnia concurrunt, & conueniunt, quod in sola, totaq; specie semper intelligitur, ut in homine ridendi facultas, & equo aptum esse ad hinnitū, caniq; ad laurandum. horū autem unumquodq; re ipsa non est, sed præter. nō, n. quia homo risui aptus est, & equus hinnitui, ridens est, uel hinniens, sed quia huic ad ridendū, illi ad hinnitū suapte est natura cōparatū. Vere autem, & maxime propriū est, quod soli, & toti speciei, ac semper conuenit. quare Porphyrius reliquas significationes omittens, omninoq; cōmunius propriū accipiens, in quatuor diuisit. cum itaq; tres repugnantie sint, ex quibus proprii significationes accipiuntur, ijs inter se conuigatis multæ relationes sunt, ex quibus nonnullæ constant, nonnullæ non constant, ut picturæ exēplo clarum fecimus. cū diceret, innatū, potestātē, & facultatem hominibus insitā significauit, non actionem. nā etsi semper non ridemus, apti tamen ad ridendū sumus, quippe qui ridendi facultatem sic habeamus, ut ridere semper possimus, cū presertim semper aptū animū habeamus ad risum. nō tamē semper ridemus, aliud quippe est ridere, aliud ad ridendum aptum esse: atq; aliud est hinnire, & aliud habere hinnitū facultatem.

DE ACCIDENTE.

Accidens est, quod adest, et abest sine interitu rei, ad quam annititur, quod bipartito distribuitur, alterum, quod separari potest, alterum, quod non potest. ac dormire quidem separari potest, nigror uero a coruo, et æthiope auel

si non potest: tamen ex coruus albus, ex aethiops intelligi potest, si colorem mutet, resque subiecta incolumis remanebit.

In ijs, quæ ad doctrinã pertinent, accidens extremum locū nactū est. ac propterea restat, ut de illo differamus. in quo primū non ignorandū puto, Porphyriū solitã regulã nō set uasse. nã in reliquis uocibus explanãdis cū prius illarū significationes enumerasset, de qua postea philosophis habenda rō esset, indicabat, qua sane regula nūc usus nō est, sed multis accidentis significationibus sibi ppositis, cepit de prima primū disputare, id quod iure optimo factū puto. habebat. n. exploratū nullã accidentis signationē eē, de qua philosophi non differerent. Accidens autē adesse, & abesse sine interitu eius rei, in qua sitū est, rōnibus firmabo. Accidentia corpora non sunt, nã si corpora essent, corporibus adiuncta auerent, & ablata minuerent: sed neq. addita amplificant, neq. remota diminuunt, corpora igitur non sunt. Præterea si corpora essent, unus locus multorū corporū esset capax, quod fieri nequit. nã in pomo est dulcedo, ac color, odoriscq. suauitas, quæ si corpora essent, unū non haberent locū, fieri id quidē nullo mō posset, cū corpus aliud corpus nō penetret. ea insuper accidentia, quæ a subiecta re segregari possunt, seu adueniant, seu recedant, subiecta illa res incolumis manet. si quidē sedere, stare, refrigerari, calefieri adsunt, absuntq. neq. rē, in qua inhærent, interimunt. quidē eã ne ob cãm ea, quæ auelli a subiecta re nō queunt, ut nasi aduncitas, & nigror, qui in coruo est, absunt sine rei, in qua sita sunt, interitu: hæc nos seruari cogitatione dicimus posse, actione autē, & re ipsa non posse. nã si uel repandus, uel directus, aut retortus nasus intelligatur, nasus nihilominus erit. Ex accidentis præterea definitione dubitationes quedã oriuntur. autē .n. nōnulli, ut paulo ante nos quoq. dicebamus, traditã definitionē, adesse inq. & abesse, oibus accidentibus non cōuenire, sed ijs tantū, quæ separantur. nigrorē. n. in ethiope, et coruo sine subiectæ rei interitu & adesse, & abesse non posse, quibus respondemus, etsi re ipsa non possit abesse, cogitatione tñ aethiops, & coruus erunt albi. at aīal ab hoīe ne cogitatione quidē separari poterit, qm̄ nisi una hominē, aīalq. intelligemus, hominē ipsum perdemus: coruū uero aethiopēq. nigros non esse cogitantes nihil ab eorū natura detrahemus. auferat quispiam, auellatq. a coruo plumas, nihilo tñ minus coruus erit. ethiopē ēi si quis cogitarit albū esse, hominē tñ remansurū nemo ignorat, ea igitur, quæ nequeūt separari, etsi actu non absint, cogitatione tñ abesse possunt. In hac ēt definitione querūt, quomō adesse, & abesse quippã præter subiectæ rei interitū dicatur, cū febris animal, quod in febrim incidit, corrūpat. ijs ita respondemus, non mō de febre dubitandū esse, sed ēt de frigore imoderato, siccitateq. uehementi, & humore: qm̄ hæc oia cū adueniunt, aīali interitum afferunt. dicimus igitur in ijs sic fieri, quēadmodū in fidibus contentis, & incontentis concentus seruari potest, neq. subiecta res corrūpitur. nam si calor, aut frigus imoderatum, aut aliud quicquam superuacaneū aduenierit, corporis conuenientia, cōcinnitateq. in aīali peruerret, subiecta tñ res, corpus uidelicet seruabitur. quod uero calefiat, & refrigeretur, non omnino animal, sed corpus est: ex contrarijs. n. calore, frigore, siccitate, atq. humore est concretū. Etenim (ut in prima pagina libri, qui est de humana natura, scriptū his ipsis uerbis reliquit Hippocrates uir & arte, & sacundia insignis) si hō una re constaret, nullo unq. morbi genere afficeretur. nã si unū existeret, nihil quicq. eēt, quod ei dolorē inureret, siq. affligeretur, una quoq. necessario esset adhibenda curatio. nunc uero cū altera qualitātū alteri dominetur, & inter se magno amicitia uinculo teneantur, non mō ex prædictis qualitātibus inter se contrarijs aīalis corpus cōponetur, sed ex subiecto ēt quodã triplici mō dimenso ex ppria rōne corporis, quod qualitate careat, in quo qualitas ois consistat. at nulla qualitas pprio subiecto repugnat, neq. id in quo est,

corrūpit. nã si subiectū corrūperet, seipsam una perimeret: interēpto autem eo, in quo uitã habet, ipsa quoq. interimat est omnino necesse, cū per sese cohærere nō possit: uerū nihil est, quod sibi interitū parare studeat. qualitas. n. qualitati, & non corpori subiecto repugnat, quare fieri non potest ut febris, aut alia quæuis qualitas rē, cui inhæret, corrūpat. si quidē omnia in rerū natura esse desiderat. cū igitur ex ijs contrarijs, ex quibus corpus cōponitur, aliquod paulo nimis redundarit, totius corporis concinnitudinē peruerteret. nã cum materia quãdã qualitas experat, ut incolumis in ea seruetur, repugnantē, sibiq. aduersam perdit, ut ea expulsa, & eiecta illius occupet locū. nã uelut de ijs, qui de cōmuni agro certant inter se, cū festinat unusquisq. aduersariū reticere, ipseq. in agri possessionē poni: sic de calore, frigoreq. de eadē subiecta re inter se pugnantibus dicere possumus. nã materia, in qua neutrum horū superarit, in moderatione erit, at si alterū excedat, contrariū a potentiori corruptū propulsabitur, subiecta tñ res nihil patietur. quinēt a superante qualitate non perdetur. cōcinnitas igitur, uel earū qualitātū, quæ in corpore sunt, tēperatio a febre perueitetur, ipsumq. corpus ueluti qualitātibus ipsis subiectū esset, non perimeretur. Posset quippã nobis ex dictis obijcere, corpus absolute febre non esse subiectū, sed animantis corpus, quod est ex illis qualitātibus cōpactū, quod cū febris, nimisue frigus, aut aliud huiusmodi accesserit, corrūpetur. non. n. quouis imoderatus calor febris est, ut manifesto apparet in ferro calefacto, & igni, sed calor, qui animantibus inhæret, quorū corpus si perdat, febris quoq. utpote quæ in illo sita sit, interimetur. hunc modū nullo negotio nos dissoluemus. Mutatio quadripartito distribuitur, unū. n. genus ad substantiã pertinet, alterū qualitatis est, tertium in qualitate uersatur, quartū oia locorū spatia cōprehendit. & primū quidē genus constituit generatio simplex, et interitus. est. n. generatio ex eo, quod nō est, in id quod est mutatio: interitus autē ex eo, quod est, ad id, quod non est: secundū accretio, & diminutio, tertium alteratio, candor itē, & tepor, & quæcunq. mutationes ex alijs qualitātibus fiunt. quartū ea, quæ Græci φασδα uocant, nos lationē, loci inq. mutationē appellamus. si igitur ortus a substantia procedens id, quod non est, efficit, ut sit, interitus uero contra, id quod est, nullū facit, & mutatio in substantia sit, si febris subiectū corpus interimet, non erit accidens, sed substantiæ mutatio, quã interitū uocant, qm̄ ortus, & interitus imutationes non sunt, etsi absq. imutatione fieri non queant. cū igitur calor, & frigus ex ita tēperata immutatione fiant, ut cōcinnitate animalis non corrūpant, ea qualitas accidens erit, quæ sine interitu eius rei, cui inhæret, abesse poterit, cū uero ex uehementiori ita, ut conformationis, ac moderationis tēperationē imutēt, mutatio non dicenda erit alteratio, nec temeraria, & fortuita, sed substantiæ ipsius cōmutatio. omnis igitur febris non corrūpit, sed imūperata, quæ accidens non est illa quidē, sed mutatio eius, quod nihil est, in id quod sit. Est præterea quiddã, quod dubiū, cōtrouersumq. est, ac plenū dissensionis inter multos. aīunt. n. caluitiū id, quod ei subiectū est crines dico, corrūpere, qua in re explicãda sciendū tantūmodo est, caluitio non capillos subijci, sed caput, cui ab eo interitus nō affertur. { A coruo, & aethiope } hæc non nisi magna de causa dicta sunt. qm̄ multa nigra possunt de albari. sed quod ipse dixit, auelli non posse, cogitatione separari poterit. uerum maxime proprie differentia ne cogitatione quidem amouentur, cum hominem remoto rationis particeps intelligere non possimus. homo enim non esset, ac neq. etiam angelus esset, si immortale ab eo auerretur. angelus enim esse desineret.

HAC quoq. definitione illud explicant. Accidens est, quod in eadē re esse, ex nō esse potest. tū quod nec genus est, nec differētia, nec spēs, nec proprium, ex semper in re subiecta annitur. Explicat

His, de quibus differere mihi propositum erat, quid videlicet genus esset, quid differentia, quid species, propriumque, et accidens. quid commune, quidque proprium habeant inter se, deinceps persequar.

Tradit accidentis descriptionem longe diligentius, quam prius. multo enim melius hæc uerba, in eadem re & esse, & non esse, accidentibus, quæ separari non possunt, conueniunt, quam adesse, & abesse. Tum, quod nec genus est. Hæc accidentis descriptio vnicuique reliquarum quatuor uocum per aliarum amotionem attribui etiam poterat. est enim accidens, inquit, quod neque genus est, neque species, neque differentia, neque proprium, semperque in subiecta re inhaeret, idem porro de cæteris diceret quisquam, ac primum de genere. Genus est, quod nec differentia est, nec proprium, nec accidens, ac semper in subiecta re consistit, & de omnibus eodem modo, quas ita non definiuit, quoniam uoces, quæ deinceps sequebantur, nondum cognitæ nobis erant, nunc uero omnibus declaratis hanc merito accidenti tribuit definitionem. Præterea cum aliarum uocum adeptio non solum accidens inferat, sed etiam hippocentaurum, & chimæram, res quæ nunquam esse potuerunt, addidit, & semper in subiecta re inhaeret, quibus uerbis accidens ab his, quæ nunquam omnino fuerunt, quæ non constant, sed sola uix cogitatione comprehenduntur, separauit, sed quoniam quid accidens esset nondum explanauerat, descriptionem a negatis ne sumpsit hoc modo, Accidens est, quod nec genus est, nec differentia, nec species, nec proprium: explicat postea quid sit, & ait, & semper in re subiecta inhaeret.

DE COMMUNITATIBVS & differentijs quinque uocum.

COMMUNE quidem omnium est, quæ admodum iam dixi, ut de multis dicantur, sed ita, ut genus ac differentia de formis, et indiuiduis, quæ eis subiecta sunt, enunciatur: species uero de suis indiuiduis: proprium de specie, cuius proprium sit, tum etiam de indiuiduis, quæ speciei sint tributæ: accidens uero de formis, et de indiuiduis, animal enim de equo, et boue, quæ species sunt, et de hoc equo, et de hoc boue, quæ sunt indiuidua, dicitur. expers uero rationis et de equo, et boue, et de singulis dicitur: sed spes, ut homo, de singulis tantum hominibus: proprium autem de specie, cuius est proprium, nec non de indiuiduis sub eadem specie constitutis, uelut habitus ridendi et de homine, et de singulis hominibus enunciatur: nigror uero de specie coruorum, et de coruis singulis dicitur, propterea quod accidens est, quod auelli non potest: motus uero quoque quod separabile accidens est, de homine, de equo dicitur, ac de indiuiduis quidem primo, tum etiam de his, a quibus indiuidua continentur.

In omnibus rebus tria considerantur, substantia, conuenientia, & discrimen. Substantiam nunc uoco, non illam quidem, quæ accidentibus contraria est, sed uniuscuiusque rei naturam, ex quo constituitur, ut res omnes esse dicantur. habent præterea conuenientiam, quoniam cum unum omnium sit principium, cuncta communitatem quandam inter se habeant necesse est. insuper quoniam ea, quæ sunt, multa reperiuntur esse, discrimen quoddam habere coguntur, ut multa sint, nam ubi

multitudo, ibi & discrimen est. In propositis igitur quinque uocibus uim, & naturam, communitatemque, ac differentiam quæramus oportet. uerum de substantia supra dixi: uocum enim uim & naturam nobis aperuit: nunc de communitatibus & differentijs differit ita, ut in quibus differant, & conueniant, per quilibet describat. Adolescentes uero, qui maiore ad uirtutem indole, quæ cæteri sunt, quique excellenti ingenio doctrinam sese dederunt, possunt hæc omnia ex prædictis edoceri: sed quoniam liber hic ad imitationem alicuius ex ueteribus scriptus est, aut certe exceptus, ut ex plurimis, hisque antiquis præceptis, quæ in eo traduntur, cognosci potest, ipsemet philosophus ea, quæ sequuntur, ex his quæ ante dicta sunt, elegit. prius autem quæ omnium communia sint, & referat, ut unamquamque uocem cæteris quatuor comparatum in quibus communent, in quibusque discordent, ostendat. Sciendum autem est, si ex differentijs quoquo modo subiectis discere uoluerimus, quot complexionum inter se discrimina consiciantur, hac ratione, & uia utendum nobis esse. Numerus uno minor sumendus est, deinde cum eo multiplicandus, qui principio fuerat constitutus. tum numerus ille, qui factus sit, bifariam diuidendus erit, dicendumque tot oriri complexiones, ut hac exempli appositione clarum fiet. Voces, quæ in præsentia inter se comparantur, quinque sunt, accipio numerum uno minore, quatuor scilicet, compositoque quater quinque, & uiginti fient: dimidia horum pars est decem, totidemque inter se e quinque uocibus coniugationes fieri dices. accipimus autem numerum uno minore, quoniam aliud alij, non idem eidem comparatur. multiplicamus postea numeros inter se, quandoquidem mutuam uocum comparationem, deinde differentiam inuestigamus. confecti demum numeri dimidium capimus, quoniam ex multiplicato bis eadem mutuo comparari sequeretur. unaqueque earum quinque cæteris quatuor comparata multiplicatæ, exempli causa, genus reliquis quatuor, species generi, & reliquis tribus, & bis cuiusque uocis eueniet comparatio, & differentia, quo numero confectio dimidium sumimus. Ac de indiuiduis quidem primo, tum etiam de his, a quibus indiuidua continentur. Præceptum maxima referunt utilitate in his Porphyrius tradit. dicit enim genera, & differentias de formis, deque indiuiduis dici. animal quidem & homo dicitur, & Socrates. sed ita, ut primum de formis, secundo autem loco propter formas de indiuiduis: propterea quod si homo animal est, Socrates item animal: cumque homo rationis particeps sit, Socrates quoque rationem habeat. Propria, & accidentia de formis & indiuiduis dicuntur, dicitur enim risui aptus homo, & Socrates, albus homo, & Socrates. Sed primum de indiuiduis, secundo de formis. non enim, propterea quod uniuersalis homo ad ridendum aptus dicitur, uel albus, oes singillatim risui aptos, albosue dicemus. uniuersus enim homo corporis expers est, neque facultatis ridendi particeps est, uerum ex eo, quod singuli homines ad risum apti, uel albi sint. Uniuersa autem de his, quæ in multis, aut post multa sunt, dicuntur.

DE GENERIS, ET DIFFERENTIAE COMMUNITATE.

GENERI cum differentia communis est forma. **GRU** comprehensio. Differentia enim etsi non oes, quas genus formas tamen continet. nam rationis particeps quamque non complectitur ea, quæ ratione uacant, ut animal, hominem tamen et angelum, qui spes sunt, continet.

Comparatis inter se quinque uocibus, communitatibusque, ac differentijs illarum explicatis, unamquamque separatim assumere uult, & cum reliquis quatuor conferre, atque indicare quam ratione una uox cum multis conueniat, uel differat. Formarum comprehensio hinc collationem exorditur, ac primum confert genus cum differentia, & quid hæc commune habeant, quidque differens diligenter declarat.

Quæcumque de genere, quæ genus sit, dicuntur, ea quoque de his formis, quæ illi subiciuntur, dicuntur.

Ammon. in Porphy.

E

quæq; de differentia, quia differentia sit, omnia etiam de illa specie, quam efficit differentia, dicuntur. quoniam enim animal genus est, substantia, quodq; animatum est, et sensus particeps de eo, quasi genere dicentur. quæ etiam de formis, quæ animali subiectæ sunt, ad individua vsq; enunciabuntur. ac quia particeps rationis differentia est, de eo, ut differentia, ratione utens esseretur, idq; quod ratione utitur non solum de eo, quod particeps rationis est, sed de formis etiam, quæ a rationis particepe continentur.

Quæ dicuntur de animali, ea etiã de formis animalis, atq; individuis enunciabuntur, eodẽ quoq; modo sit in differentia. An propterea quod genus de animali dicitur (dicimus, n. animal genus esse) de formis etiã, & individuis dicitur, id si ita est, necessitas cogit, hoiem, & Socratem genus dicere, quod falsum est, cumq; genus duarũ syllabarum uox sit, ita & hominem dicere necesse erit. Dicemus igitur Porphyriũ ea de causa generatim, quia genus sit, adiecisse, hoc est, quia res sit, non autem quia relationem habeat, genus, n. duabusq; e syllabis constans, & huius generis per multa animalis affectionem declarant, quæcunq; igitur de animali, quia animal sit (hoc enim ipsum ut genus dici patet) eadẽ semper de formis, individuisq; dicuntur, genus quidẽ de animali, non quia animal sit, sed quia relationẽ declarat, enunciatur. Animal non modo hominis, equi, & reliquorũ genus appellatur uerum & color genus candoris est, & nigroris, nec non omnium reliquorũ, quod in alijs quoq; summis generibus haud secus inuenitur, quo sit, ut genus de aiali, non ut animali, sed quod affectionẽ quandam eorũ, quæ sub ipso sunt, accipiat, dicatur, quod in causa est, ut de formis, deq; individuis nõ dicatur, habere quoq; eandem de differentia rationem debemus, quæcunq; enim de differentia tanquam differentia, & non relationem indicantia, omnia etiã de formis omnibus, quæ differentia subiectæ sunt, deq; individuis dicuntur.

Illud præterea cõmune illorum est, quod genere, differentijsq; sublatis, ea, quæ illis subiecta sunt, nusquam manent. ut enim si animal tolleretur, nec equus, nec homo superesset: ita si nihil rationis particeps sit, animal ratione utens constare non poterit.

Dux regulæ eorum sunt, quæ priora censentur, tollere, & non tolli, inferre, & non inferri, quas nunc generi, differentiaq; communes ascribit.

DE GENERIS, ET DIFFERENTIAE DISCRIMINE.

Proprium generis est, de pluribus dici, quã differentia, species, propriũ, et accidẽs dicantur. nam animal de homine, equo, aue, & angue dicitur: quæ drupes uero de ijs tantum, quæ quatuor habent pedes, homoq; de solis individuis, quod ad hinniendum aptum est, de solo equo, & singulis, eodemq; modo accidens de paucioribus enunciatur.

Cum exposuerit, quam similitudinem inter se habeant genus & differentia, ad declarandum nunc eorum discrimen aggreditur. hic dupliciter, & bipartito sumere differentias oportet (nam bifariam capi, ac considerari differentias diximus) uel ut efficiunt, & absoluunt speciem, uel ut genus in partes fecant.

Eas sumere differentias oportet, quibus genus

diducitur in partes, non quæ generis naturam perficiunt, sed quæ dissipant.

Sumenda, inquit, sunt differentia, quibus genera in partes diuiduntur, nõ quæ generis uim, naturamq; cõplent, quandoquidẽ illæ generũ, non quia genera sint, sed quatenus species, etunt differentia. oportet inquam differentias, quæ diuidunt, accipere, quæ generis sunt. animal enim magis, quam hæc patet, cũ tamen minus serpat, quam differentia, quæ perficiunt. nam quod supra dixit, accidens de paucioribus dici, absurdum uidetur, cũ præsertim accidẽs de pluribus, quam genus dici uideatur, id enim, quod nigrum est (ut hoc exemplo utar) non tantum animantibus, uerum etiam inanimatis conuenit, quam igitur ratione de paucioribus & hunc nodum ita dissoluemus. Siquid sit sub eodem genere constitutum, ut accidens in animalibus, angustius serpet, quam animal, id nanq; quod nigrum est omnibus animalibus nõ est attributum, & quod in plantis est, planta minus est.

Genus item ui sua differentiam cõtinet, quoniam animalium aliud rationis particeps, expers aliud, differentia autem non continent genera. deinde genera priora sunt differentijs, quæ sunt eis subiectæ. quocirca si tollantur, differentias secum adiment, at illæ sublata genera nõ tollunt. sublato enim animali, rationis compos, & expers auferuntur, at genera a differentijs nõ tolluntur, nam etsi tolleretur omnes, natura tamen animata, sentiens, quod animal est, intelligeretur. genus præterea cum rei natura quaeritur, differentia, cum qualitas, respõdetur, ut supra dixi.

Differentias in generibus facultate priores esse, quã species, quæ sub illis sunt, supra diximus, Peripateticos imitati.

Præterea genus in unaquaq; specie unum est, ut animal in homine, differentia uero multæ, ut quot rationis cõpos, mortiq; obnoxium, & mentis particeps est, quibus homo distat a ceteris animantibus.

Hæc est altera generis, & differentia uarietas, genus enim in unaquaq; specie unum est, differentia autem multæ.

Demum genus materiae persimile est, formæ autem differentia.

Genus, quod in multis est, præsertim naturale, materiae simile est, & differentia formæ.

Sed cũ multa sunt, quæ generis, et differentia propria, ac cõmunia sunt, hæc tamen dixisse sufficiat.

Alia his esse propria ac cõmunia dicit, tamen ait hæc esse satis multa. cõmunis enim ijs est substantia impartitio, quoniam ut genus conficit substantia, ita etiam differentia. cõmune præterea habent, ut eadẽ ratione, & definitione dicantur. nam ut genus de ijs, quæ sub se sunt, una ratione, ita etiam differentia dicitur, eorum item proprium est, ut genus, uelut animal, cũ alio genere ad aliquid efficiendum, non coniungatur: differentia contra, ut connectantur, & aliquid efficiant. nam rationis particeps cũ mortali, & mentis ac scientia capaci si coniungatur, hominem efficiet.

DE GENERIS, ET SPECIEI COMMUNITATE.

Genus, & spēs cõmune habet, ut de multis dicitur, ut iam diximus. Specie sumi uolo, quæ solũ species est, nõ etiam genus, ut spēs & genus idẽ existat.

stat. horū quoq; cōmune est, quod priora sunt ijs, de quibus dicuntur, et quod utrunq; est quidem totum.

Cum genus cum differentia cōpararit, dixeritq; quid cōmune habeant, quid propriū, ipsum genus hoc loco cū specie confert. quidq; cum specie cōmune habeat, palam facit. { quæ solum species est } hæc uerba maxima ratione adductus philosophus adiunxit. ne infimam, quæ de multis non dicitur, aut eam, quæ tum genus, tum species est, accipere mus, genus præterea inueniemus, quod et si mediū sit, ut species tamen, non ut genus sumatur, ut generis, & speciei, & non utrorumq; generum fiat cōparatio. eam deinde cōmunitatem, ut de multis dicantur, ob eam causam præposuit, ut hæc illis, de quibus dicuntur, priora esse significaret.

DE GENERIS, ET SPECIEI DIFFERENTIA.

Hoc quidē differunt inter se, quod spēs a genere cōprehenduntur, ipse uero spēs genera nō complectuntur. siquidē genus de pluribus quā spēs dicitur. genera quoq; præponēda sunt, quæ differentis formarū procreatricibus informata spēs perficiūt. quo fit, ut genera naturæ ordine priora sint, auferantq;, neq; auferantur. nā si genus sit, spēs etiā omnino erit: at si genus nō sit, species nusq; omnino manebit. Genera præterea una rōne de formis, quæ sunt ei subiectæ, dicuntur, at formæ de generibus non dicuntur. Ceterum genera formas superant ipsarum formarum cōplexione: formæ uero genera, quod proprias differentias cōplectuntur. Species item nunq; genus summum, et genus nunquam infima species fiet.

Declarare aggreditur, quid differant inter se. ac prima quidem differentia clara est, & perspicua. dicit enim necesse esse, ut genera præponantur. nam animal, ut dictū est, tanquam materia prius ponitur, deinde id, quod rationis particeps est, & mortale assumit, atq; hominem facit. animal quidem genus est, & homo species. { Quo fit, ut genera naturæ ordine priora sint, auferantq;, neq; auferantur } duas regulas tradit, ex quibus discerni possunt ea, quæ ordine naturæ sunt priora. una hæc est. Id quo sublato aliud tollitur, nec tamen uicissim, prius est. ut animal si tollatur, homo simul tollitur: at si homo adimatur, animal simul nō adimetur. igitur ordine naturæ genus est prius forma. Altera est. Id quod inferitur est inferēte ordine naturæ certe prius, ut cū homo sit, animal semper erit, sed si animal sit, nō necesse est hominē inferre. ergo harū ambarum regularū necessitate genus prius esse naturæ ordine quā species cogitur. si genus sit, speciem nō inferet, at si species statuatur, una genus inferet. { Formæ uero genera } Genera a formis superant, quod formæ re ipsa continent dīas, quæ uim habent formarū absoluendarum.

QUID COMMUNE SIT GENERI CUM PROPRIO.

Genus, et propriū cōmune habēt, spēs ut sequantur. nam ut siquid sit homo, idē animal sit, ita si quid sit homo, statim ad risum est natū. Genus etiam æque de formis dicitur, ac propriū de indiuiduis suis. homo. n. et bos æque animātes sunt, et Anytus, et Melitus æque apti ad ridēdum. Illud etiam cōmune

est, ut genus una ratione de suis formis, et propriū de ijs, quorum proprium sit, dicatur.

Genus cum specie cōparauit, id ipsum nunc cū proprio confert. aliquid porro sequi dicit, cū maius necessario sequitur id, quod minus est, ut animal hominē. nam si homo est, animal quoq; est. uel cū æquale aliud æquale cōsequitur, ut hominē ridendi facultas. si homo sit, ridendi etiam facultas erit. { Illud etiam cōmune est } Id causæ fuit, ut propriū in ijs, quæ substantiā participant, & ijs, quæ substantiæ aduentitia sunt, mediū habere locū dixerimus. propter tamē hanc cognationem ad ea quæ substantiæ sunt, proprius accedit.

DE GENERIS, ET PROPRII DIFFERENTIA.

Inter genus, et propriū interest, quod genus prius est, posterius propriū. primū. n. animal sit, differentis deinde, et proprijs diuidatur oportet. Item genus de multis formis, propriū de una sola, cuius propriū est, dicitur. Propriū præterea cum de eo, cuius proprium est, dicitur, reciprocatur: genus uero de nullo uicissim dicitur. neq;. n. si quid sit animal, id cōtinuo sit homo, neq; si quid animal sit, cōtinuo ad ridēdum aptū sit. atqui si aliquid sit homo, mox ad risum aptū sit, idq; uicissim retro cōmeat. propriū etiā toti speciei, soliq; ac semper, cuius est proprium, inest. at genus etsi toti, et semper, cuius genus sit, ei tñ soli non inerit. si præterea propria tollantur, nō una auferent genera, at generibus sublatis formæ, quarū sunt propria una tolluntur. ita fit, ut si spēs, quarū sunt propria, euertantur, ipsa quoq; propria simul corruant.

In quibus cōueniant cū referauerit, in quibus discordent deinceps declarabit. prius dicitur nō tempore, sed natura. si propria tollantur, genera nō tollentur: at si genera deleanē, species ad nihilum omnes recident, quibus sublatis propria nusq; manent. generibus itaq; sublatis propria tolluntur, id quod sit, quā species, quarum propria sunt, simul cū generibus adimuntur. homine. n. sublato ridēdiabilitas una perit, hocq; iure factū uidetur. nam si ablatis formis propria auferuntur, & generibus sublatis tolluntur & spēs, si genera adimantur, propria itidem euertentur, & ad mortē impellentur.

DE GENERIS, ET ACCIDENTIS CONUENIENTIA.

Hoc maxime inter genus, et accidens, ut supra diximus, cōuenit, ut de multis dicantur. idq; siue in ijs accidentibus sit, quæ separari possunt, siue quæ non possunt. etenim moueri de multis dicitur, et id quod nigrum est, de coruis, Aethiopibusq;, et alijs nonnullis, quæ inanimata sunt.

Generi cū accidente unicam tantum cōmunitatem attribuit, ut scilicet de multis dicantur. genus uero ab accidente plurimū differt, atq; eorū quæ maxime disiuncta sunt, uelut genus, & accidēs, difficile est ostendere cōmunitatem, utpote quæ nulla fere sit: at differentia certe facile, quandoquidē quæ plurimū distant, in multis sunt dissimilia. ita arduum est opus discrimen eorū afferre, quæ proxima sunt, & quasi coniuncta, cōtra uero cognatio nobis in promptu est. ut siquis lupi, canis, equi, palumbiq;, ac columbe cōmunitatem diceat. Ammon. in Porphy. E ij

re uoluerit, facile expedit: si uero quid differant explicare tentarit, difficiliter faciet. nullo item negotio dicet, quid homo a formica differat: at in quibus conueniant, ægre, & difficulter. atq; ut summam dicam, quæcunq; multum inter se absunt, parū ad modum cōmunitatis habent, ac differētis plurimū. contra quæcunq; parū distant, proximaq; sibi ipsa sunt, paruum habent discrimen, magnamq; conueniētiam.

DE GENERIS, ET ACCIDENTIS DIFFERENTIA.

Differt ab accidēte genus, quod genus prius formis sit, accidētia uero formis posteriora. nā et si accidēs id, quod auelli nō potest, statuitur, id tamen cui inhxeret, accidente prius est. quæ præterea genus participant, æquam illius partem sumunt, quæ accidens, nō item. Accidentiū enim cōmunio contentionem, et remissionem capit, at generum cōmunio id nequaquam fert: deinde accidentia in indiuiduis primō insident, genera, et species priora sunt indiuiduis substantiis ordine naturæ. Item genera de ijs, quæ eis subiecta sunt, dicuntur in quæstione, qua naturæ accidētia aut, qua qualitas, aut cuiusuis rei modus inuestigatur, qualis. n. Aethiops sit interrogati, nigrū esse respondebimus, aut quomodo Socrates sit affectus, ægrotare eum, aut bene ualere dicemus.

Genus quidem, & accidens inter se distant plurimum, & parua nimirum alteri cū altero similitudo intercedit, discrimen uel maximum, quod efficit, ut Porphyrius unam tantum illorum cōmunitatem, uarietatesq; cōplures exponat. { Contentionem & remissionem capit } homo. n. equusq;, atq; aliæ præterea species uno, & eodē modo animalis sunt participes, æque enim animantes sunt. at corpora non paratione cādorem, uel nigrorem participant, quicquam enim magis, aut minus album dicitur.

Iam quid genus a reliquis quatuor differat, exposuimus. ceteræ autem omnes poterunt etiā a quatuor differre. quare cū quinque sint, et unaquæq; a ceteris quatuor differat, efficitur, ut quater quinque ducta, uiginti differētias omnes cōficiant. sed alia nunc in eunda est ratio, quoniā semper deinceps enumerantur, et ex duobus una differētia delinquitur, quod ea iam sumpta sit, ex tribus duæ, ex quatuor tres, ex quinque quatuor differētis colliguntur. nam ex quatuor, tribus, duabus, una, decē fiunt. genus enim quid a differētia, specie, proprio, atq; accidēti differat, iam dictum est, ex hoc itaq; quatuor differētis nascuntur. Quid aut differētia a genere distaret, tunc explicauimus, cū quid genus ab ea distaret, exprimeremus. quō nunc a specie, proprio, atq; accidēte discrepet, dicendum restat, ex quo differētis tres oriuntur. quid præterea spēs a dīa differat, exposui, cū quid differētia a spē interesset, exponerē. quid itē spēs a genere differret, dixi, cū quid genus a specie differret, dis-

cerem. Reliquū est, ut aperiamus, quid inter speciē, propriū, et accidens inter sit, ex quo duæ nascuntur. deinde quid proprium ab accidēte differat, nobis explicandum sumemus. quo enim pacto a specie, differētia, et genere distaret. supra dixi, cum mutuum illorū discrimen explanarem. cū igitur quatuor generis, differētiæ tria, speciē duo discrimina, atque unum propriū ab accidente in unum conferantur, ex omnibus decem fiunt. quorū quidem quatuor, quibus genus ab alijs distinguebatur, iam demonstraui.

Hoc loco Porphyrius demonstrare uult, quot relationes fiant ex mutua uocum cōparatione. relationes inquit fiunt, non ut si quis uiginti accipiat, propterea quod unaquæq; uox bis reliquis comparetur, sed uiam quandam & rationem docet, de qua feci supra mentionem, qua quidē uia, quot cōparationes ex mutua uocum propositarum collatione nascantur, reperiemus. ait enim, id quod nos quoq; paulo ante dicebamus, debere nos propositū uocum numerū per aliū uno minorem multiplicare, numeriq; effecti dimidiam partem sumere, quod tot relationes oriānt. si uerbi causa quinque per numerum uno minorem, quatuor uidelicet, multiplicemus, uiginti reddentur. id si in bina media diuidas, eorum alterum erit decem, & tot erunt huiuscemodi quinque uocū inter sese relationes. quid uero causæ sit, cur hoc modo faciamus, in promptu est ratio. una enim quæq; uox reliquis cōparetur est omnino necesse. ac propterea quinque quater ducimus, & uiginti omnes relationes fiunt, sed quoniā cōparationes bis fiunt, dimidiū tantum modo sumimus. quando quidem si genus cæteris comparatur, cæteras quoq; cum differētia conferri perspicuum est, siq; differētiā reliquis, genus ad differētiā bis accipitur, de reliquis eadem est habenda ratio. Alter modus tradi solet, ex quo quot relationes ex mutua cōparatione terminorum propositorū oriuntur, cognoscimus. Si aliqui termini sint, alijq; ad illos addantur, ex unoquoq; terminorū totidem fiunt relationes, uerbi gratia quinque sint propositi termini, primi non erit relatio: si alter apponatur, una oritur, quandoquidem terminus propositi termini fuerant. omnes igitur relationes tres fiunt. Si alius terminus ijs accedat, relationes tres emanant, omnesq; sex omnino reddūt. addito præterea illis termino quatuor relationes nascuntur. quare quinque terminorum relationes decem fiunt. id quoque probatur hoc modo. Vnaquæq; ex quinque uocibus ceteris quatuor comparāda est. genus itaq; cæteris comparatum quatuor relationes efficit. Differētia uero generi comparabatur, cum ei compararetur genus, quod idem est, atque si generi cōpararetur differētia: at cæteris tribus comparata treis relationes faciet. fiunt itaq; septem. species præterea generi, differētiæq; comparata est, quando ei genus, differētiæq; comparabantur. reliquis itaque duabus cōparata duas relationes creat, ex quo nouem redduntur. proprium deinde generi, differētiæq;, ac speciē comparatum fuit, quando ea ipsi cōparabantur. accidētiq; comparatum facit unam relationem, quo fit, ut decem omnino fiant. Accidens nihil habet, qui cum conferatur, sed ipsum cæteris comparatum fuit, cum omnes cum eo conferrentur. omnes ergo relationes quatuor, treis, duas, unam oriri iam constat. generis quatuor, differētiæ tres, speciē duas, unam propriū, quæ omnes decem sunt. proprium amplius generi comparatum non fuit, quandoquidem id factū est, cum genus cum eo coniungeretur. Superest ut ante oculos ponamus, quomodo a specie differat. eadem enim relatio est generis ad differētiā, quæ differētiæ ad genus. at genus non amplius differētiæ comparatur, sed cæteræ tantum uoces, quæ eam sequuntur,

DE SPECIEI ET DIFFERENTIAE
Communitate, & discrimine.

DIFFERENTIAE cum specie comune est, ut equa sit utriusque communio. nam singuli homines eque participes sunt hominis, et eius, quod rationis particeps est. Illud et commune est, ut nunquam seiungatur ab eis, quae ipsarum partem capiunt. nam Socrates et semper homo est, et ratione praeditus. Differentia propria est, ut in quaestione, qua qualis res sit quaeritur, dicatur speciei uero, qua quid sit. nam etsi homo aliqua affectus qualitate sumatur, non absolute qualis erit, sed quia differentiae generi coniunctae eum talem reddiderint. in multis ite formis differentia sepe spectatur, uelut quadrupes in uariis animantibus, quae specie differant: at species in solis indiuiduis, quae ei subiecta sunt, reperitur. Differentia ite prior est ea specie, qua ipsa creat. nam si id, quod rationis particeps, tollatur, homo statim tolletur. homine uero sublato id, quod rationis est particeps non adimetur, cum angelus constet.

Ad communia, propriaeque differentiae, ac speciei, reliquarumque uocum declaranda aggreditur, atque ita paruū hoc suum opusculum ad finem perducet. Differentie quidem, & speciei communitates duas, discrimina plura nos docet. primo itaque differentiae propriae est, dici in quaestione qua quale quicquid sit: speciei uero in ea, qua quid quicquid sit, quaeritur. ipse quoque clarum facit id, quod nos in dubitatione adducere posse uidebatur. nam cum posset quaerere quispiam, quare ob causam speciei in quaestione qua rei natura, & differentia, in qua rei qualitas indagatur, dici asseruerit, cum praesertim homo quadam et qualitate sit affectus (nam si rogamur quid Socrates sit, aial esse respondemus: si quale aial, hominem dicimus ita, ut species quoque in ea quaestione dicatur, qua rei qualitas quaeritur) ait: Non absolute qualis erit, sed quia differentiae generi coniunctae eum talem reddiderint. Species. n. a generibus sortiuntur, ut in quaestione qua uis & natura indagatur dicantur, & a differentijs, ut in ea, qua quaeritur qualitas. etenim si quis nos roget, quale animal sit, rationis particeps, mortale que respondemus. quibus quidem sit rebus, ut differentiae suapte natura in quaestione ea dicatur, qua inuestigatur qualitas, species autem id a differentijs acquirant.

Præterea differentia cum alia differentia coniungitur. nam quod est rationis particeps, quodque mortale ad hominem efficiendum in unum conferuntur. Species uero cum specie non conestitur, ut alia inde species fiat. aliquis enim equus cum asina coniungitur, ut mula inde nascatur, at si omnino equus asinae copuletur, ex illa contrectatione nunquam mula gignetur.

Aliud differentiae, & speciei discrimen ostendit. differentia, inquit, cum alia differentia coniungitur, ut aliquid aliud efficiatur. si quidem quod rationis est particeps quodque mortale in naturam hominis concluduntur. Sed uniuersus homo, atque uniuersus equus nihil efficiunt, cum tamen uniuersum id, quod rationis particeps est, quodque mortale hominem faciant. nam etsi mulus ex equi & asinae contrectatione nascatur, non tamen ex omnino equo & asina, sed ex singulis, aut quibusdam. nam equus asinam si contrectet, mulum gignet. itaque equus aliquis erit, & asina ite aliqua, non uniuersa aut equi, aut asinae species. Differentiae quoque, quae ad cuiusque speciei ortum conueniunt, nihil quicquam

inter se patiuntur, quandoquidem singulae naturam seruant suam, ueluti in homine procreando, specie inchoe efficienda, id quod mortale est, quodque rationis ac mentis est particeps concurrunt, & nihil horum quicquam patitur, at equus & asina congregantes, mulumque generantes, suam in mulo naturam sinceram non seruant. id quod sit, quoniam non species sunt, sed indiuidua. nam cum utrisque natura corrupta sit, aliquid ab utrisque diuersum effectum est. quocirca species cum specie non copulatur.

DE COMMUNITATE, ET
Discrimine proprii, & differentiae.

DIFFERENTIA, et proprium commune habent, ut ea, a quibus assumuntur, e qua illorum partem capiant. rationis. n. participes eque rationis copotes sunt: ac y, qui ad risum nati sunt, eque nati sunt omnes. Hoc et commune est, ut semper, et omnibus conueniant. nam et si bipes uno sit claudus pede. semper tamen id habebit, ad quod natum est. idque quod ad ridendum natum est, quanuis non rideat semper, tamen propterea quod ad id natum est, semper intelligitur. Proprium autem differentiae est, ut de multis formis saepe dicatur, ut ratio nis particeps in homine, et angelorum et proprium de una sola, cuius proprium sit. praeterea differentia ex his consequitur, quorum differentia est, ita tamen ut non reciprocetur. at propriae uicissim retro comeat, ex eo, quod ipsum, et ea, quorum propria est, retro dicatur.

Differentiae, & proprii duas conuenientias tradit. altera est, ut ea, a quibus assumuntur, e qua illorum, proprii inquam et differentiae partem capiant. altera est, ut his, quibus ipsorum conuenit communicatio, semper adsint. Socrates non magis rationis particeps est, quam Plato, neque magis ad risum aptus. at si quid alio magis, minusue rationis copos esse dixerimus, illud tunc ex eo, quod rationis sit particeps, magis et particeps indicabimus. hoc. n. in loco quaerimus non naturam rationis participem, sed habitum, aut artis perceptionem alicuius, aut scientiam. qui sane habitus aut affectio, atque habilitas dici potest. semper. n. homo rationis particeps est, semperque aptus ad risum, non quod semper rideat, sed quod ad ridendum natus sit. Geminas praeterea dissimilitudines declarat. Differentia. n. multas species complectitur, propriae autem in una ratione cernitur. differentia ite quantum ex his consequens est, quorum est differentia, eis tamen ex altera parte non respondet. nam si quid homo sit, id rationis particeps sit: at si quid rationis copos sit, non semper homo existat. propriae autem & sequitur, & reciprocatur. nam si homo est, ridendi habilitas est: si ridendi habilitas est, homo itidem est.

DE COMMUNITATE, ET
Discrimine differentiae, & accidentis,

ET differentiae, et accidenti conuenit, ut in multis dicantur. cum accidentibus quoque, quae separari non queunt, differentiae commune est, quod semper, et omnibus adsint. nam bipes semper et homini, et coruis adest, nigror ite omnibus coruis. differunt uero, quod differentia ita formas continet, ut a formis non contineatur. id. n. quod rationis particeps est, et angelum, et hominem comprehendit. accidentia uero quia in multis sint, quodammodo complectuntur: ac quia ea, quibus inherant, non unum aliquod accidunt, sed multa recipiant, quodammodo continentur. Differet

tia neque intenditur, neque remittitur. accidentia intentione, et remissionem capiunt. præterea differentia contrariae misceri inter se non possunt, accidentia contraria miscentur quandoque, ac coniunguntur. Differentia igitur cum alijs uocibus communitates, et proprietates hæc sint. species. n. quid a genere, et differentia differret, explicauimus, cū qd genus ac dñia a ceteris discreparēt, doceremus. superest qd a proprio et ab accidenti differat nobis dicēdū.

Duæ sunt differentia atq; accidentis cōmunitates, una ut de multis dicatur, altera ut formis semper adsint, sed prima & separabilibus accidentibus, & ijs etiā, quæ separari nō possunt, conuenit. secunda uero ijs tm, quæ nequeunt amoueri. hō. n. non semper sedet, at coruus semper niger est. Sūt aut tria discrimina, siquidē differentia species continet, quā doquidē rationis particeps plura, quā homo cōplectitur. accidentia & continēt, & cōtinentur. nā quia nigror nō Aethiopi mō, uerum et coruo, cæterisq; conuenit, continet: quia uero Aethiops alia accidentia potest recipere, cōtinetur. { Quo dāmodo } id adiectū est, quoniā nec pprie continet, nec cōtinetur, etenim Socrates nō est magis rationis particeps alio homine, nisi id ex scientijs acquirat, quæ aī habitus, ac proprietates sunt. sed nec et ex substantia, quæ rōne constat, ut diximus. Accidentis cōtentionē, & remissionē suscipit, siquidē Aethiops alio Aethiopo, & coruus coruo nigrior inuenitur. Cōtrarie differentie misceri, iungiq; inter se nō possunt, qm̄ rationis cōpos, & expers non coniunguntur. id uero, qd albū est, quodq; nigrū mista fuscū faciunt. ita fit, ut contraria accidentia misceri inter se, coniungiq; possint.

DE COMMUNITATE, ET
discrimine Speciei, & Proprii.

SPECIEI cum proprio cōmune est, quod uicissim retro cōmeant. nam siquid hō sit, ridendi etiā habeat facultatē: ridendi facultatē siquid habeat, homo sit. Sepe. n. dictū est, quod aptū ē ad risum, intelligēdū esse ex eo quod ad risum natum sit. Hoc etiā commune est, ut ijs æqualiter conueniant, a quibus assumuntur. nam species illis, quæ se participant, æque insunt, ac propria ijs, quorum propria sunt.

Sermonem de differentia institutū cū perfecerit, ad declarandam speciē aggreditur, atq; dictū iam esse quid species a genere & differentia differat, quidq; cū illis commune habeat, cū illa speciē cōpararentur. quomō itaq; species a proprio differat, & accidenti, quidq; cōmune habeat, dicitur. species quidē & proprium in duobus cōueniunt, tum ut reciprocantur, ut si homo est, ridendi facultas est: si ridendi facultas est, hō est. ridendi facultatē dicit, non quod rideat, sed quod suapte natura est comparatum, ut rideat. tum ut eque insint formis, quæ sunt ipsorum participes. omnes enim quātum ad substantiæ rationē spectat, rationis participes sunt, ac ridendi habitus est omnibus æqualiter impartita. differentia multæ sunt, nam species aliorum genus esse potest, ut animal animati species cū sit, hominis, & equi genus est.

DE DIFFERENTIA
speciei, & proprii.

SPECIES a proprio differt, quod species aliorum genus potest esse, propriū aliorū esse propriū nequit, ac species prius, quā proprio cōstat, proprio speciei accidit. necesse. n. est hominē eē, ut sit aptus ad ridē

dū. Præterea spēs in re subiecta inest re ipsa, proprio uero nonnunquam potestate. homo enim semper re ipsa Socrates est, uerum non semper ridet, etsi semper est aptus ad risum. Quorum item definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt. cumque speciei sit, sub genere constitui, deque multis, et ijs numero differētibus dici in quæstione, qua rei natura quærendo inuestigatur, propriū est in una sola, totaque, ac semper reperiri.

Speciem hic intellectam tult eam, quæ media est, nō autē ultima, proprio alterius esse propriū non pōt, species prius, quam proprium cohæret, sit. n. prius hō necesse est, ut postea sit aptus ad risum. at proprio posterius specie est. cūq; species in subiecta re insit re ipsa semper, nā Socrates semp hō est, proprio interdū potentia. nō. n. semper hō ridet, semper tamen potest. { Quorū item definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt } hoc etiam cæteris quatuor conuenit. idē. n. de genere, & reliquis dicere possumus, quorum si differunt definitiones, ipsa quoque inter se discrepabunt.

DE COMMUNITATE ET
differentia speciei, et accidentis.

CONueniunt inter se species, et accidens, quod de multis dicuntur. raræ admodum sunt horum communitates, quoniam accidens, et id cui accidit, inter se plurimum distant.

Vnam speciei, & accidentis communitatem, multaq; discrimina tradit. quid uero causæ sit, cur unā tantū conueniētia nobis explicauerit, nos paulo ante declarauimus, id quod ipse nunc ait, quæ. s. plurimū distant, in paucis conueniunt, & differunt plurimū: contra quæ uicina sunt, & proxima, parum differunt, in multisque conueniunt. utrisque commune est, ut in multis dicantur. nam homo de Socrate, & Alcibiade, nigrorque de coruo, & Aethiopo dicitur.

Hæc utrisque sunt propria, speciei, ut in quæstione, qua quid res sit, quæritur, de ijs, quorum species est, dicatur: accidentis uero, in qua qualis sit, aut quo modo affecta sit, indagatur. item quod unaqueq; substantia unius speciei particeps est, accidentis autem, q, multorū separabilium inquam, et quæ se iungi nō possunt. species quoque ante, quam accidentia, licet ea secerni non queant, intelliguntur. res enim subiecta sit, ut ei quicquam accidat necesse est, accidentia uero posterius fiunt, et suapte natura substantiæ sunt inherentia. speciei item communio equalis est, accidentium, atque adeo eorum, quæ auelli non possunt, non ita. nam Aethiops magis aut minus alio Aethiopo nigro colore infici potest. Restat nunc, ut de proprio, atque accidente uerba faciamus, quid enim proprio a specie, dñia, et genere differret, explicauimus.

Speciei proprium est, ut in quæstione qua uis, & natura quæritur, dicatur: accidentis uero in ea, qua quale qd sit, aut quo modo affectum sit. nam si quis nunc me roget, quo modo Aethiops affectus sit, ualere illum, aut ægrotare respondēbo. species. n. etsi in qualitate indaganda dicatur, id tamē a differentijs, ut dictū est, nascitur. uniuersūq; itē

rei natura unius forme, & multorum accidentium est particeps, uelut aduncitatis, nigroris, & cædoris. species est prior est, accidens posterius, quod prius esse hominem, quâ nigro colore imbui & infici oporteat. ac speciei cõmunio par est, et æqua, cum & Socrates, & Plato æque homines sint, non tñ æque albi, aut nigri: inuenietur enim Aethiopo colorator. Nunc philosophus ad proprii & accidentis proprietates, ac cõmunitates declarandas aggreditur, & dicendi finem facit. proprium quidē qd a genere, differentia, & specie differret, diximus, cū illa ei compararentur. quid autem cum accidenti cõmunitate habeat, quidq; ab eo differat, in præsentia dicemus.

DE PROPRII ET ACCIDENTIS COMMUNITATE.

Commune est proprio, atque accidenti, quod separari non potest, ut ea, in quibus esse spectantur, sine ipsis non constet. ut enim sine ridendi facultate hominem, ita sine nigrore Aethiopem non reperies, & quemadmodum proprium est semper, & in ipsis omnibus, quorum proprium est, inest: ita accidens, quod separari non potest.

Non sine ratione addidit { quod separari non potest } quoniam hæc distinctio facit, ut non intelligatur separabile, cui cū proprio nulla ferme cõmunitas intercedit. igitur cõmune est illud proprio cū accidenti immobili, quod illa, in quibus cernuntur, constare sine ipsis non possunt. nã si id, quod ad risum aptum est, non sit, non erit hõ perinde, ac coruus non erit, si nigror non existat. Accidens uero discretum non semper inest speciei, quoniam homo non semper sedet, & fieri etiam potest ut homo absque illo constet, cum præsertim Socratem non sedentem animo concipere possimus. quatenus igitur proprio, & accidens immotum cõmune quid habent inter se, accidens mobile nihil habeat, at quatenus differunt, accidens quod seungi potest, a proprio differat plurimum.

DE PROPRII ET ACCIDENTIS DIFFERENTIA.

DIFFERUNT, quod proprium uni tantum speciei conuenit, ut homini ridendi facultas, accidens, quod amoueri non potest, ceu niger, non solū Aethiopi, sed et coruo, et carboni, et ebano, atque alijs nonnullis rebus. Ita fit, ut proprium de sua specie uicissim dicatur, inque omnibus eque insint, accidens autem immobile non reciprocatur. Propriorum item cõmunitas æqua est, accidentium tum maior, tum minor. Sunt præterea multæ aliæ cõmunitates, et proprietates earum uocum, de quibus supra differuimus. sed hæc ad earum discrimina cognoscenda, et cõmunitates declarandas sufficere iã debent.

Proprium ab accidenti, quod nõ separatur, differt, quod ipsum uni modo speciei, ut risus soli homini, & illud multis conueniat, ueluti nigror, qui non tantum Aethiopi inest, uerum et coruo, & alijs nonnullis. proprium est reciprocatur, ita ut eius cõmunitas par, æquaque sit. nam si hõ est, ridendi quoqueabilitas est, si estabilitas ridendi, homo itidē est. Socrates. n. & Plato æque apti sunt ad risum, accidens quod separari nequit, non reciprocatur, & ob eam causam ipsius cõmunitas tum maior, tum minor est. si. n. coruus est niger est, at si quid nigrum sit, non tamen coruus erit. Aethiops quoque, ut supra dicebam, alio nigrior inuenitur. ridendi autēabilitas nulli magis, aut minus conuenit. Illud quoque scire debemus Porphyrium non dixisse eas substantias, in quibus proprium, & accidens cernuntur, sine proprio, & accidente constare non posse: quandoquidem substantia res est, quæ se pulcherrime sustentat, sed substantias sine proprio & accidente non constare, non quia substantiæ sint, sed quia in proprijs, & accidentibus considerentur. nam musicus Socrates, quia Socrates est sine eo quod musicus sit, constabit. at quia musicus est, sine eo quod musicus existat, nihil est, cur eum constare putem posse.

F I N I S.

S E R I E S C H A R T A R V M.

A B C D E.

Omnes sunt duerniones.



Venetijs apud Hieronymum Scotum.

I 5 4 7

